

CANCELL.
MARTIS B.
1718.

IX. II. 6. 191.

52.


~~DISPATCH~~

~~XXVIII. 9. a~~

1. De Iure et Leriopradentia domistica, sub Sac. Frat: Ludovici, J. C. Weise.
2. Differentiar Juris Rom. et Scdm: in Maternis Testic, sub J. D. Lüderitz, R. W. Guffertius, p. Sac:
3. De Probabilitate ejusq effectu, sub J. F. Ludovici, J. Eustachio, p. Sac:
4. Ahaberi Tritschij De Iure ac Statu Pagorum Scdm: Lera 1679.
5. De Contractibus Patrio et Liberoz in potestate ejus coipartium, J. S. G. Tritio, J. C. Gross.
6. - Uperis per modum Interesse ultra aderum tantum non exigendis, J. D. Werthero, J. Engesberg.
7. Sacra: Zippelius De Testieris Collibisticis, Von Wulffeldrinfor, Lipp. 1710.
8. De Beneficio Competentia generativa, Speciatim Nobility concuso, J. P. D. Werthero, J. A. Preysig.
9. - Substitutionibz von Affro. Liniebz der Nachfolger, Leipzig, J. A. L. Albin, J. P. Gitterwoth prolio: Lipp.
10. - Successione clericis in Seruam maternam, J. M. Lange, J. H. Kestch, Lipp.
11. - Equitate probilis beneficij regioris bonoz, J. C. Wildrogelius, J. C. Schröder prolio.
12. - Iure et Privilegio Prosector, in Encurzibz Peditor, in foro iurisprud. Elect. Sac: J. J. Werthero, J. C. No.
13. - Upe exiguo St. C. Vellejapis in foro Germania, J. C. Thomae, J. R. Kraenoeß, p. Sac. Helmstadij.
14. - Horup Descriptorum Monitorior, J. S. Atrykio, H. C. Hagemann.
15. - Testamenti initia visibilis est invisibilis nec non de legitima contradicere est, penult. l. ult. p. d. Electi: die.
16. - Adriani solleio, J. J. H. Mairi, J. J. Lotzig, p. Sac. Lipp.
17. - Presumptione pro fero, J. J. W. Engelbrecht, J. C. Waterus, p. Sac. Helmstadij
18. - Differentia Conspicere Sponsalibus et Antinomiaq inde respectu effectu pacificis, Gv. H. Druckne.
19. - Vasallus q. Domini Feudi propria autoritate sibi ius dicente, J. S. J. Hilliges, Georg Jan. ab Heringes, Lipp.
20. - Necesse fuisse Vasallus in expectantiam feudi a Tho concordandam, J. co. J. A. Gortner.
21. - Iure Capitum Territorialium, Von Proft. over Gross, B. Magdeburg, J. J. H. Mairi, J. M. Lohm, p. Sac. Lipp.
22. - Prima pecuniaria in delictis curair, J. J. G. Hilliges, J. A. Panice.

- 22, De Jure Principis circa dimissionem Ministerij, f. d. H. Bochmero Phil. Adolph. de Munchhausen.
- 23, - Iure et statu Romanorum Proprietorum a Servis Germania, non Donatis derivando, f. d. Fr. Schreyer, pro fr:
- 24, - est quod justum est circa arbores turbine dejectas, f. d. C. H. Hornio S. S. Aufseßtzeile:

S



ETIENNE
BRIDGERIA DOMINI
TUTA
ACAO BRIDGER
LUDVICUS
GEOGRAPHIA HISTORICA
ETIENNE
BRIDGERIA DOMINI
TUTA
ACAO BRIDGER
LUDVICUS

Q. D. B. V.

26

DISSERTATIO IN AVGVRALIS JVRIDICA
DE EO, QVOD JVSTVM EST
CIRCA
**ARBORES TVRBINE
DEJECTAS,**
(Wind-Brüche)

QVAM
AVSPICIIS SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
DN. FRIDERICI AVGUSTI
PRINC. REGII, AC ELECT. SAX. HER. &c. &c.
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
Ex DECRETO INCLVTI JCCTORVM ORDINIS
SVB MODERAMINE

DN. CASP. HENRICI HORNII, IC.
POTENTISSIMI REGIS POLON. ET ELECT. SAXON.
IN SVMMO PROVOCATIONVM SENATV CONSILIARII,
COLLEGII ICTORVM ORDINARI, SENIORIS

ET H. T. DECANI,
PATRONI, PROMOTORIS, AC PRAECEPTORIS SVI OMNI HONORIS ET
OBSERVANTIAE CVLTV AETATEM PROSECVENDI

PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTRQVE JVRE OBTINENDI
HONORES ET PRIVILEGIA

PUBLICO AC SOLEMNI ERVDITORVM EXAMINI
AD D. A. M DCC XVI.
IN AVDITORIO MAJORI

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM STATVTIS SISTIT
SAMVEL SIGISMUND. *Sensfried* / FREIB.
CONS. ECCLES. VVITTEE. ADVOC. ORD.

VITEMBERGAE, LITERIS VIDVAE GERDESIANAE.

ARGOREG TURATIE
DIFECTAS
(CENSUS)

DE PREDICATI ALLEGATI

MICHAEL RICCI HORNI IC

PRO HISTORIA
SUMMAS IN MUSICO VARIE ORATIONIBUS

HONORABILIS LITERATIVI
IN ADOCTO PROLOGO ET PRIMIS MARCHIS
A.Y. DEC XXV

IN ADOCTO PROLOGO MAFOLI
HORN QUITTE FORT DE LA CHAPELLE DANS PARIS

VIVAT RICCIUS

CONTRARIOZ AVITUS AD VEN

INTERMISSE CULTURA VIDUAS CULTURAS

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS JVRIDICA
DE
EO, QVOD IVSTVM EST
CIRCA
ARBORES TVRBINE
DEIECTAS.

§. I.

Uanta violentia interdum prorum-
pere soleant turbines, ita, ut proster-
nant quæque sibi obvia, experientia
nos satis superque docere consue-
scit. Neque solum, qui per maria
vagantur, procellarum experiuntur
calamitatem; sed &, qui firma inni-
tuntur terra, nonnunquam, ut pro-
meritam, Numinis divini, vitiis ho-
minum irascentis, pœnam sentiunt turbinum vehemen-
tiam, qua conturbantur plurima, convelluntur firma ædi-
ficia, prosternuntur sylvæ, & alias quam maxima inferun-
tur damna. Inprimis autem exorto quandoque turbine,
strages sœpe sat magnas, perpetiuntur sylvae, ita, ut quæ *maxime*
in Sylvis.
per plurimos elatae fuerant annos, alias quoque satis vali-
dæ, ventorum impetu frangantur, & dejiciantur arbores.
Scilicet,

*Auster & Boreas jamque hinc, jamque acriter illinc,
Eruere inter se valido cacumine sylvas.*

Certant

Quemadmodum autem res ista, nonnisi in maximum detrimentum illorum vergere potest, ad quos ipsa spectat sylva, quum, quæ ad plurimorum annorum usum destinatae erant arbores, simul prosternantur, & sic eam, quam alias poterant, afferre nequeunt utilitatem; insuperque haud raro inter eos, qui quoddam jus in sylvis alienis sibi afferunt, non leves exoriantur lites, quibus disceptatur, cuinam competit jus arbores, vi ventorum dejectas, tol-

*Legum de
arboribus
turbine
dejectis
statuen-
tium ne-
cessitas.*

*Institu-
tum.*

*Agitur
hoc loco
maxime*

lendi, atque commodo ex iisdem fruendi: proinde omnino opus est, ut a summa potestate publicis definiatur legibus, qui commodum percipere, quicquid damnum ex arboribus, turbine prostratis, ferre debeant. Idque eo magis necesse est, quod in Republica bene constituta res istæ, ex quibus in illam utilitas insignis aliqua redundare potest, convenientibus munitæ esse debeant legibus, ad quas quidem sylvarum, arborumque usus, omni referri poterit jure, quippe quod maxime publicæ pro fit rei, ita abundare sylvis, arboribusque, ut usu lignorum nunquam destituta sit, nec alibi, quorum indiget, sint querenda. Unde etiam est, quod ubique fere leges conditas reperiamus forestales, quibus, quid juris circa sylvas, arboresque, & qua ratione subdit illis non male, sed bene uti debeant, constitutum. Nobis, quid quoad arbores turbine dejectas justum, hoc loco proponere animus est, idque tam ex Jure communi, quam specialibus ordinationibus provincialibus eruere fatagemus. Deum autem T. O. M. ut huic annuat labori, submisso veneramur.

§. II.

Cum itaque jura arborum, turbinum violentia dejectarum, exponenda sint, illud primo praefruendum est, hoc loco quidem nobis agendum esse, tum de arboribus, quae

quae vetustate ita correptæ, & emortuæ sunt, ut vel ipsæ *de arbori-*
 nulla licet violentia ventorum, vel levis saltem, aut exiguus aëris motus accedat, corruant, vel, quovis leviusculo *bus turbi-*
ne dejec-
tis.
 etiam exerto vento, dejciantur, & frangantur; tum vero
 maxime, & primario, circa illas operam nostram occupari,
 quæ ex improvisa, & inconsueta ventorum violentia, dum
 validæ antea, atque integræ fuere, destruuntur, atque
 prosternuntur. Fieri illud assolet *turbanum vi*, quippe quod
 ventorum genus inter violentissimos refertur. Significat *Turbo*
 enim *turbo* ventum vehementissimum, versatilem, & se *quid signi-*
torquentem cum fragore maximo, objecta, & obvia quæ *ficit?*
que deturbantem, & prosternentem, vid. Lincken Diff. de
Jure ventor. §. 27. Aristoteli alias quoque *turbo* *Prester vo-*
catur. In Jure nostro sub nomine vis majoris, quam
 Græci θεῖοι, sive vim divinam, vocant, denotari videtur
 in L. 9. §. 2. & L. 25. §. 6. ff. Locat. Conducit. quod turbines
 tanta invehant violentia, cui resisti nullo modo possit, Conf.
 L. 15. §. 2. ff. eod. Unde, quod damnum ita infertur, ad ca-
 fus fortuitos refertur, & quicquid in illis jura constituunt,
 plerumque etiam in arboribus, vi ventorum dejectis, locum
 habet. Reclite itaque dejectio arborum, per violentiam tur- *Dejectio*
 binum facta, ita exponi posse videtur, quod illa sit *casus arborum*
fortuitus, quo arbores integrae, atque valide, per violentiam ven- *turbanum*
torum, prosternuntur, atque ita a solo, cui antea adhærebant, se- *violentia*
parantur. Germanis arbores tales dicuntur, *Windbrüche / quid sit?*
Windfälle / & describuntur a WEHNERO in Observ. Pract. voc. Arbores
Windbrüche / quod sint die vom Wind ausgerissene / oder umh- dejectæ
gebrochene Bäume / und Hölzer. Ut adeo duplicitis generis germanis
 sint, sc. vel radicitus evulsæ, vel fractæ. Sub nomine ruto- *vocantur*
 rum cæsorum comprehendi quoque in Jure nostro vi- *Wind-*
 dentur arbores, vento dejectæ. Late enim admodum pa- *brüche;*
 tent ruta cæsa, atque sub se complectuntur omnia ea, quae In Jure
 terra amplius non tenentur, neque tamen opere structili, dicuntur
 tectorioye continentur. L. 241. ff. de V. S. atque sic neque etiam ru- *fundi ta cæsa.*

fundi, neque ædium sunt L. 66. ff. de Contrab. Emt. Qualem conditionem cum & ipsæ arbores, quando ventorum violentia dejiciuntur, nanciscantur; igitur quoque ad ruta cæsa recte referuntur, quibus opponi solent fixa, junctaque Conf. L. 38. §. 2. ff. de Act. Emt. & L. 21. ff. de Instruct. & instrum. legat.

§. III.

*Arborum
differen-
tia.*

*Arbores
cæduæ &
non cæduæ
Sylva cæ-
dua qua-
sit?*

*Arbores
gremia-
les qua-
sint?*

Arbores vulgo distinguuntur in frugiferas, & eas, quæ fructus nullos producunt: hoc loco tamen opus non est, ut solicii simus de hac differentia: Sicut etiam nihil omnino refert, an sylvestres sint arbores, an non sylvestres: æquale enim regul. jus inter utrasque obtinet, quando a turbine stragem perpesæ fuerunt. Quoad sylvestres arbores illud tamen negligendum non est, istas in cæduas, & non cæduas dispesci, prout nimirum sylva, in qua deprehenduntur, cædua, vel incidua est. Solet autem sylva cædua in jure nostro vocari, quæ in hoc habetur, ut cædatur (sc. quando matura est, aut quolibet anno, aut biennio, aut triennio &c.) & quæ succisa rursus e stirpibus, & radicibus renascitur L. 30. ff. de V. S. Atque hæc duo quidem ab invicem sejungenda non sunt. Nimirum ad sylvam cæduam non tantum requiritur, ut in hoc habeatur, ut cædatur, ea sc. ratione, qua diximus, sed & illud exigitur, ut ex stirpibus, & radicibus repullulet. Conf. GOEDDÆVM de Verb. & Rer. Sign. ad d. L. 30. n. 3. Interim arbores gremiales arboribus cæduis æquiparantur vid. L. 7. §. 12. Solut. Matrim. Dicuntur autem arbores gremiales, quæ alias quoque cremiales, vel gremia vocantur, surculi, virgulæ, farmenta, ramique arborum siccii, aridi, & ad comburendum idonei, CALVIN. Lex. Jur. voc. gremia. atque nominantur gremia, vel arbores gremiales, quod gremio a rusticis soleant apportari ad comburendum; vel cremiales a cremando, quoniam huic usui plerumque destinantur, ut putat GOTHOF. ad L. 7. §. 12 ff. Solut. Matrim. Sylva non

non cæduta, sive incidua illa est, quæ in hoc non habetur, ut *Sylva non certis quibusdam annis cædatur, & quæ succisa e stirpis cædua quebus, & radicibus non renascitur, atque ex grandioribus fit?*

plerumque, & proceris constituitur arboribus *vid. L. 10 & u.*

ff. de Usufr. Possetque illa alias *sylva* materiaria dici, quod nimirum ad ædificia, navigiaque exinde conficienda, materiem (*Muñz-Holz*) præbeat. *L. 55. pr. ff de Leg III. l. 14. ff. de per. & com. re vend.* *Vid. GEORG. MOR, Tr. de Jur. Venand. c. 3.*

n. 34. qui habetur in AHASV. FRITSCHII Corp. Jur. Venat. Forref. Et hujus distinctionis, *sylvæ*, in cæduam, & inciduam, usus quidem, in iis, quæ a nobis dicenda sunt, est conspicuus. Illud porro non praetermittendum, arbores,

Arbores quam primum per violentiam turbinum dejiciuntur, atque vento defic a solo separantur, pro rebus demum mobilibus haberí, jectæ ad cum antea, & quamdiu fundo adhærebant, immobilibus res mobilibus annumeratae fuerint, atque sic fundi pars ipsa esse les refer videretur, arg. L. 44. ff. de R. V. §. 31. J. de R. D. L. 26. §. 2. runtur.

ff. de A. R. D. Quanquam enim arbores, quamdiu cohaerent adhuc fundo, non adeo immobiles esse videantur, quemadmodum aliæ res, quae plane moveri non possunt, quippe cum arbores concuti, agitari, & sic moveri omnino possint, imo in alium plane locum transplantari, & per naturale suum incrementum moveantur arbores, quando quotidie crescunt, nec ita in statu suo manent, *vid. L. 7.*

ff. de Serv. Urb. Præd: iste tamen motus ad physicam tantum pertinet considerationem. In sensu enim juridico, ubi ad rem mobilem requiritur, ut, salva manente substantia, neque adeo difficulter, de loco in locum possit transferri, motus ille naturalis non efficere potest, ut arbores, fundo adhærentes, mobilibus rebus accenseri queant. Accidit enim illud tum demum, quando a solo suo separantur, quounque etiam modo illud fiat, sive cædantur, eruantur, sive per vim ventorum frangantur, atque prosternantur.

§. IV.

§. IV.

Jus in ar- In ipso autem definiendo jure, quod circa arbores, tur-
bines dejectas, obtinet, potissimum ad dominium fundi, syl-
bine deje- vaeque, ubi illæ dejectæ sunt, respiciendum est. Quemadmo-
etas com- dum enim arbores a natura ideo producuntur, ut usibus
petens de- hominum inferviant; ita etiam hominibus quoque facul-
pendet ex tas concessa est, ad necessitatem, & utilitatem easdem usur-
dominio pandi. Ast primitus ista facultas utendi sylvis, & arbori-
fundi aut bus, non restricta fuit; ideoque usus arborum, ex commu-
nionis jure, omnibus quoque licebat. Quam primum au-
tem rerum dominia introducta, tunc quoque facultas ar-
boribus, pro lubitu utendi, limitata est, ita, ut non am-
plius omnibus, sed illi demum relinqueretur, qui sylvæ,
ejusque fundi, in quo sylva est, dominium sibi acquisi-
vit. Atque res quidem adhuc hodie ita sele habet, ut
nimirum, qui sylvæ, fundique dominio pleno gaudet, nec
alii particulam ejus, vel jus quoddam, intuitu ejus, conces-
sit, idem jus sibi in arbores quoque afferere queat, ita, ut
regulariter dominium arborum, dominio ipsius fundi co-
hæreat. Neque ratione, ac fundamento res hæc destitu-
itur: namque rationi convenit, & æquum omnino est, ut
cujus est totum, ejus quoque sint partes, L. 76. ff. de R. V.
L. 44. ff. eod. ejusque fructus quoque sint, (quibus &
arbore recte annumerantur,) ad quem ipsa terra pertinet,
quippe ex qua, non tantum prognascuntur arbores, sed
& nutrimentum suum accipiunt, conf. L. 26. ff. §. 2. de Acq.
Rer. Dom. Proinde recte illi dominium arboris afferitur,
cujus in fundo radices egit §. 31. f. de R. D. & Acq. Rer. Dom.
Atque illud dominium arborum non tantum tamdiu durat,
quamdiu illæ solo cohærent, sed tunc quoque, quando ab
eo separatae sunt, manentque, salvum integrumque rema-
net. Ex quibus dictis facile dijudicari potest, & sua spon-
te fluit, arbores, aëris motu, vento, vel turbine dejectas, vel fra-
ctas ad eum spectare, cui fundi, & sylvæ dominium com-
petit. §. V.

§. V.

Consequitur ex eo, domino fundi omnes quoque effectus, qui alias illis, qui plenum rei habent dominium, competunt, ratione arborum fractarum, prostratarumque, esse tribuendos. Quapropter ipsi jus vindicandi arbores suas, quas venti, & turbines prostraverunt, a quounque illarum possessore non est denegandum, per L. 23. pr. ff. de R. V. dummodo fundamentum suæ intentionis i. e. dominium satis probaverit. L. 9. ff. eod. Sufficit tamen probasse dominium fundi, quo facto, etiam de arborum dominio satis constabit; si scil. liqueat, arbores in isto fundo natae fuisse; alioquin enim & hoc probandum foret. Ad præparandam hancce actionem, domino ad exhibendum agere facultas est. L. 9. §. 1. L. 19. L. fin. ff. ad Exhib. Sed & si furtum factum fuerit arborum, ventorum vi dejectarum, ipsi non tantummodo actio furti conceditur §. 13. f. de Oblig. quæ ex Delict. sed & condicione furtiva eidem competit L. 1. & 11. ff. de Cond. furt. ita, ut non tantum contra ipsum furem, sed etiam contra ejus heredes, eadem institui queat L. 9. ff. eod. qua quidem actione alias non nisi dominus valide experiri potest d. L. 1. Præterea fundi dominus eo quoque dominii sui, in arbores dejectas, gaudet effectu, ut libere, atque pro arbitrio suo, disponendi de iisdem habeat facultatem, arg. L. 21. C. Mandati.

§. VI.

Atque hæc absque dubio ita sese habent, si arborem De arbore ventus dejecit, quæ in solo ita posita erat, ut vicinum fundum plane non attingeret. Quod si tamen vicinam terram ita presserit, ut & radices in illa non porrexerit tantum, sed & egerit, paulo aliter res comparata est; quippe posita tunc non amplius prioris domini arbor est, sed illius fit, erat. in cuius fundo radices egit. §. 31. f. de R. D. junge L. 6. §. ult. ff. Arb. furt. cesar. L. 26. §. 1. de A. R. D. idque ideo, quod omnem substantiam, ex alimentis, quæ ex altera terra ca-

B

pit,

pit, nanciscitur, atque ita paulatim nova quasi fit, pristinumque dominium mutat. Sed quæ dicta sunt, intellecta volumus de radicibus necessariis, & quæ ad conservationem ipsius arboris faciunt, non de minus principali bus, & quae necessario non requiruntur. *fac. L. 6. §. f. ff. Arbor. furt. ces.* Quod si itaque ejusmodi arbor ventorum violentia dejecta fuerit, quæ in vicino fundo radices egit, non ad eum, qui in sua illam posuit terra, sed ad vicinum pertinet. Si in confinio arbor posita sit, communis illa est inter confines, quamdiu illa cohæret adhuc fundo, quando in vicinam terram simul radices egit, *d. §. 31. J. de R. D.* & quidem non pro indiviso, sed pro ratione radicum, quas in utroque fundo egit. *L. 8. ff. de A. R. D.* Quando vero arbor eruta, aut vento dejecta est, tunc pro indiviso communis fit per *L. 19. pr. ff. Comm. divid.* & quidem non ex æquis partibus, sed ex illis, quas confines habebant in ea parte, qua terra arbor cohærebat, & venit in communi dividendo judicium, *diff. L. 19. L. pen. ff. Pro Socio CVFAC ad d. l. 19.*

§. VII.

Quid juris in Saxonia? Secundum Saxonum placita non tam jus soli, quam jus aeris attendi solet: ita sc. ut sicut arbor in confinio posita vicini est, Jur. Civ. in quantum in vicini solo radices egit; sic Jur. Sax. ad vicinum pertineat, quatenus ramos projicit in ejus fundum, & spacium aeris, quod supra vicini fundum est, occupat. Ex quo vicino competit 1.) dominium ramorum propendentium, ex eoque jus succidendi illos ramos propendentes, licet aedibus non impendeant, vel quindecim pedes a terra coercentur (*L. 1. §. 1. & 9. ff. de arb. caedend.*) & 2.) jus colligendi fructus, ex ejusmodi ramis decidentes, (quod Jur. Civ. domino arboris tribuitur intra triduum *L. un. ff. de Gland. legend.*) *Land N. Lib. art. 52. Weichbild art. 126. CARPZ.P. 3. Conf. 32. def. 25. STRYCK. Uf. Modern. ff. t. de A. R. D. §. 28. ILLUST. D. BERGER Econ. Jur. Lib. 2.*

Lib. 2. t. 2. §. 17. Quid ergo apud Saxones juris, si arbor vi ventorum fracta, vel eruta? Non incidi in scriptorem, qui hanc questionem tractavit, cum tamen quam plurimi illam differentiam Jurium studiose observaverint. Existimo tamen, propter casum istum dominium arboris non mutari, atque ideo eam mansisse illorum, quorum antea fuit, hoc est quoad ramos, qui in fundum alterius propenderunt, domini hujus fundi, quoad truncum vero, reliquaque partes, alterius, in cuius solo nata, vel posita, succrevit. Atque hac ratione inter utrumque judicium communi dividendo iniri poterit, ac ex situ facile aestimari, quo usque rami in vicinum fundum protensi fuerint. Hac vero parte nihil interesse puto, in cuiusnam fundum, aeris, ventorumque impetus, projecerit arborem: atque ideo, si fracta vel evulsa, in ejus fundum projecta, qui vel nullam, vel aliquam tantum partem arboris habuit, nihil ei ex hoc casu acquisitum esse, persvasum mihi est. Pro qua sententia facit *L. 9. §. 2. vers. nec arbor. ff. de damn. inf.* Quod si enim illa arbor a te vindicari non potest, quae, translata in agrum meum, cum terra mea coaluit; illa utique vindicari potest, quae non coaluit, licet vi ventorum projecta, in alienum solum. Ut etiam illam, quae vi flumen in fundum nostrum illata, domini vindicare poterunt; quibus & Praetor Edictum dedit, ne vis fiat eis, quo minus sua tollerent &, auferrent, *L. 9. §. 1. d. 1.* si modo damni infecti, etiam quoad praeteritum damnum, re promittant *d. L. 9. §. 1. & 3. ff. de damn. infect.* Atque sic casus hic est, ubi sine injuria alterius fundum ingredi licet, *arg. L. 15. ff. ad Exhib. DN. PRAESES Resp. 7. Cl. 5.* Si vero dominus arborum nihil faciat, interdictum datur, per quod compellitur, aut tollere, arbores, aut illas pro derelicto habere *L. 7. §. 2. in fin. d. t.* Quae cuncta Saxonum placitis minime refragantur.

§. VIII.

Illa vero omnia, quae de dominio diximus, locum habent, sive dominium ad privatum spectet, sive ad publicam rem, vel eum, qui illi praefest, & τὸ νύγον tenet, sive Princeps vocetur, sive alio nomine veniat, sive etiam ad alias collectiones subordinatas pertineat, quae in Republ. sunt,

Ad quem & universitates, collegia, corpora &c. dicuntur, imo etiam ad spectent illos coetus, qui ecclesiae vocantur. Atque hinc, sicuti dantur arbores in tur sylvae publicae, quarum proprietas populi est, usus vero omnibus ex populo patet; ibi arbores tales dejectae, populi

sunt etiam, omnes tamen, ac singuli, illas in usum suum convertere possunt, ita, ut occupantis potior ratio habeatur, nisi fortassis haec facultas legibus, vel moribus, vel pacto sit circumscripta, arg. §. 2. J. de R. D. ubi Dd. Ubi vero ejusmodi sylvae, vel fundi, arboribus instructi, ad fiscum, ejusque patrimonium referuntur, & in pecunia publica habentur L. 6. ff. de Contrab. Emt. L. 2. §. 4. ff. ne quid in loco publico, quod hodie quoad illas res, quae olim apud Romanos publicae dicebantur, plerumque fit, arbores, vi ventorum fractae, evulsaeque, sine dubio ad fiscum Principis, vel alterius Rectoris Reip. (zu denen Cammer-Gütern) pertinent, qui codem jure, ac privatus, iis hac parte uti solet; nisi ubi peculiare

*Quidjuri-
ris in illis
quae in
terrīs in-
cultis &
desertis
dejiciun-
tur.
Ita in illis
quae ad
Principis
patrimo-
nium
spectant.*

jus constitutum L. 32. C. de Jur. fisci L. un. C. de Cond. & Procur. praed. Fiscal. Idem est dicendum de arboribus, quae in terris incultis, a nemine privatorum huc usque possestis, vel desertis, fractae, atque dejectae sunt, cum illa loca ad fiscum Principis pertineant; ad quem omne illud pertinet, quod non est privatorum, VITRIAR. 3. 18. 73. MYLE R. ab Ehrenbach de Jur. Stat. cap. 70. §. 1. Pariter omnia ista applicari possunt ad ea loca, quae ad Principis patrimonium privatum pertinent, vel ad Domum Augustae, de quibus agitur L. ult. C. de quad. pr. §. ult. J. de Usucap. Evidem saepius audimus singulare jus, quoad fiscales res, allegari, sed, nisi lege, vel consuetudine illud innitatur, in illis, quae Juri communi-

con-

CIRCA ARBORES TURBINE DEIECTAS. 3

conveniunt, subsistendum est. Memini interdum fisco id *Singulare* tribui, ut arbores alterius soli, in solum publicum, vel fisci *jus fisci*. locum, projectae, fisco cedant; licet hic simili jure uti nolit, si in publico solo arbores enatae, in alterius fundum propellantur. Sed, quo usque de fundamento hujus juris singularis non constat, in medio illud relinquendum est.

§. IX.

Pariter saltuarii, & similes ministri, arbores in fundis *Quid ju-* fiscalibus fractas, &c, evulsas sibi vindicare solent, quod, quo *ris saltua-* jure, quave injuria fiat, saepius incertum. Attamen, aliquan- *riis in ar-* do id sit ex Principis concessione, qua loco salarii ejus- *boribus* modi arbores, eae saltim, quae circa vias publicas, vel fines *dejectis* conciderunt, officialibus istis assignantur. *VVEHNER. Obs. competitat?*
Pract. voc. Holzspär. Kunst & voc. Wind. Brüche / & tunc quidem res caret dubio. quae tamen cum hoc temperamento capienda est, ut non trahatur ad eum casum, ubi magno exorto turbine, magnam stragem sylvae perpecciae sunt. De quo casu Princeps procul dubio non cogitavit
Dd. ad L. 191. ff. de R. J. cuius, ejusque fisci, maximum damnum foret, si, devastata sylva, etiam copia ista arborum careret. Imo extra huncce casum ista concessio ad ramos dejectos, & ligna illa, quae nullum alium, quam comburendi usum, praebent, in dubio erit restringenda; minime vero ad ea trahenda, quae aedificationibus, aut ejusmodi usui inservire possunt, quippe quae venditionibus, & propriis usibus Principis merito asservantur. Satius autem temper videtur, certum definire ejusmodi officialibus stipendum, quo constituto, ipfi contenti esse, & ab omni perceptione, arborum, vento dejectarum, abstinere debent, quemadmodum statutum in Bavaria, *vid. Gürstl. Bavarische Jagd- und Forst- Ordin. art. 3. Conf. SEBAST. KHRAISSE* Com- ment, ad hanc Ordin. d. art. ap. A. FRITSH. C. J. Ven. P. 1. p. 187. Per- tinet huc Ord. Polit. Magdeburg. in Corp. Confir. Magdeburg. P. 3 c. 9. *Sect. 3. von Holz. Märkten §. 7. sanciens daß die Forst- Be-*

B 3 dienten

dienten zu verhütung ungleichen Verdachts/ und mit unterlauffenden Missbrauchs/sich der Wind - Brüche keines weges weiter anmassen sollen. Simile quid habetur in *Ord. Forest. Brunsvicensi & Luneburg. c. 2. §. 24. quae reperitur in Append. Ord. Polit. ejusd. Conf. etiam Fürst. Sächs. Altenburg. Landes Ord. von Forst-Sachsen cap. 2. §. 12.* cum facile contingere possit, ut isti sibi plus justo arrogant, atque ita redditus Principis ex sylva injuste deminuantur. Caeterum non negatur, interim non tantum expressa, sed etiam tacita concessione, Principis officialibus jus nasci posse, modo ex actibus, qui Principi innouere, certi simus de ejus voluntate: *vid. STRUV. Ex. 2. th. 20.* Sin ea destituamur, sine crimine furti arbores istae ab officialibus auferriri non poterunt.

§. X.

In bonis universitatis quid juris? Quod ad bona universitatis attinet, notum est, proprietatem esse universitatis, usum vero ad omnes, & quidem vel ad singulos ex universitate pertinere, vel saltim universis, collective sumtis, praebere usum, quorum illa in sensu excellentiori bona universitatis dicuntur, haec vero in patrimonio universitatis esse solent, & hodie in civitatis bona cameralia, *Cämmerey-Güther / passim* dicuntur *HOPP. aliisque Dd. ad §. 6. J. de R. D. SCHILTER. Ex. 4. §. 9.* Si in prioris generis bonis, arbores tales deprehendantur, singulorum occupationi cedunt, nisi statuto, vel pacto, vel moribus, aliud receptum. Quoad alterum genus nulla singularis facultas data est, sed in usum communem totius civitatis, ad ferenda onera publica, arbores istae convertendae sunt. *HOPP. d. l.* Si de Collegii, quod universitatem regite e.g. Decurionum in municipio, vel alterius coetus sylvis, vel fundis, quaestio instituatur, idem judicium feren-dum est.

§. XI.

Quid in bonis ecclesiasticis. Nec aliter sentiendum *de praediis ecclesiasticis*, quae in dominio sunt, non quidem templorum, quae sub-ejecta

jecta capacia dominii non sunt, sed coetus illius, qui Ecclesia dicitur: licet certa ratione bona Dei, vel Christi, vocentur, *Can. Revertisse, b5. Caus. 16. qu. 1.* quatenus sc. patrimonium constituant coetus, cuius caput est Deus, & Christus; & propter cultum divinum externum habentur, *PAVLVS SARPIVS in Tract. de Beneficiis art 21. qu. 2. D. BOEHMER. de Jur. Parochial. Sect. 5. c. 3. §. 4.* Quae bona duplicis generis sunt: alia enim sunt destinata ad patrimonium ecclesiasticum, vel aerarium, ita, ut usibus totius Ecclesiae inserviant, & ex iis sumptus suppedientur, ad cultum divinum externum instruendum, ad salario ministris Ecclesiae praebenda, extirptionem & conservationem aedium sacrarum, & habitationis Ecclesiae ministrorum. Alia destinata sunt ad solum usum immediatum eorum, qui Ecclesias regunt, vel ministeria alia subeunt. *Conf. D. PRAESES. Diff. de Cleric. Cleric. non decimant. tb. 15.* De his infra alio loco erit agendum; hic vero de prioribus dispicendum. Itaque si Ecclesia habeat sylvas, nemoraque, Kirchen-^sHölzer / arboresque illorum turbine dejiciantur, illae ad neminem, nisi ad aerarium ecclesiasticum, pertinere possunt, atque, praescitu & consensu superiorum ab ejus administratoribus, qui & alioquin apud nos sine Superintendentis, & Patroni praescitu, & assensu ligna, in ipsis sylvis ecclesiasticis, caedere, & vendere non possunt, in ejus usum converti debent per *Artic. Gen. XXXV. in f.* Idem etiam judicium ferendum de arboribus in Coemeteriis crescentibus, quippe quae coemeteria ad res religiosas, vel hodie apud nos ecclesiasticas, referuntur *CARPZ. Lib. 2. Jurisp. Eccles. d. 387. SCHILT. Inst. Jur. Eccles. 2. 7. 14.* Extat de hac re *Canon 14. in Concil. Londinensi. 1342. habito*, ubi, sub poena excommunicationis majoris prohibetur, ne quis arbores, in coemeteriis crescentes, contra voluntatem Rectorum, & Vicariorum, Ecclesiarum, Capellarum &c. prosterret, aut evellat. *LABBEVS Tom. XI. Concil. p. 1897. 1898.* Est tamen ubi interdum pastoribus, vel aedituis, usus graminum, & arborum

rum, in cœmeteriais relinquitur, quo de casu infra agemus. *vid. art. gen. 15. §. auff daß auch ic.* Quae vero dicta a nobis, ad Academias, similesque coetus, & alia pia loca, Xenodochia, Orphanotrophia &c. applicanda erunt.

§. XII.

Utrum ex possessione tollendi arbores, vento dejectas, in dubio ad dominum fundi sit argendum?

Cum itaque, qui dominus fundi est, arborum quoque in illo tum positarum, tum etiam per violentiam turbinum fractarum, erutarumque habeat dominium, incidit quaestio, num ex eo, quod quis in possessione juris tollendi illas arbores, vi ventorum dejectas, constitutus sit, simul in dubio ipsius fundi dominus esse censeatur? Dubia ex eo quaestio videtur, quod jus in arbores, ex alia quoque causa, ortum esse potest, quae quidem, ad transferendum simul dominium fundi, habilis non est, unde, negativam sententiam praevalere, omnino posset videri, imprimis, cum in dubio nulla dominii translatio praesumatur, quando vel maxime de principio dominii non constat. *vid. ME NOCH Lib. 3. praef. 96. n. 2. & praef. 150. n. 6.* Veriorem tamen putamus affirmantem sententiam, quod nimirum, qui in possessione juris, arbores, vi turbinum dejectas, tollendi, constitutus est, in dubio etiam ipsius fundi dominus praesumi debeat, quoniam nimirum fructus, quales etiam arbores recte dici possunt regulariter, & si nulla alia causa probetur, ex dominio soli, percipi creduntur *L. 25. pr. & §. 1. ff. de Usur.* neque in dubio quis alieno potius, quam proprio jure rem tenere praesumendus est. *arg. L. 51. pr. ff. pro Soc.* Ex perceptione fructuum etiam ad possessionem rei, recte arguitur, ex possessione autem in dubio ipsum dominium praesumitur, neque enim melius, quam ex possessione, dominium probari potest, deficientibus aliis dominii probationibus *ANT. FABER. Cod. Lib. 3. t. 23. d. 18.* cum regulariter non, nisi per possessionem, acquiratur dominium *Conf. L. 1. & 8. C. de Acq. vel. retin. poss.* unde in dubio arborum dominus, recte quoque dominium in fundum habere, donec

donec contrarium probetur, censendus est. Illud tamen tum demum procedere videtur, cum de dominio incidenter quaeratur; namque ubi de eo principaliter, uti in rei vindicationis judicio, agitur, praesumtio haec non sufficit, sed tunc plenarie quoque illud probandum est. *ANT.* *FABER d.l.* ita tamen, ut, non probata, etiam in hac actione, intentione actoris, pro possesso in dubio judicandum sit. *conf. L. fin. C. de R. V.*

§. XIII.

Domino vero aequiparatur b. f. possessor, quippe *Qyod-*
qui in percipiendis fructibus domini pene loco est L. 48. nam jus
pr. ff. de A. R. D. L. 130. ff. de R. V. & fructus percipit statim, b. f. pos-
ac a solo separati sunt, quomodo cunque id contigerit, seffori
§. 35. J. de R. D. ideoque, qui fundum sylvamque b. f. possidet, *competat.*
arbores vento depresso suas facit, & tanquam dominus
ipse disponendi de iis facultatem habet. Itaque, licet post-
modum verus dominus superveniat, non tamen b. f. pos-
seffor, ad restituendum pretium arborum consumptarum,
quas violentia ventorum prostravit, tenetur. §. 35. J. de R. D.
Quae tamen adhuc extant, dum litem movet dominus,
hae ipsi restituendae sunt L. 22. ff. de R. V. Sicut etiam b. f.
possessor post litem contestatam, si in usus suos arbores turbi-
ne dejectas converterit, ad refaciendum pretium illarum
omnino tenetur, d.l. 22. Si de arboribus turbine dejectis
consumptis locupletior factus b. f. possessor, dubium est,
num ad restituendum id, in quantum locupletior existit,
domino obligetur. Quoad Jus Civ. negativa sententia
verior quidem videtur per d. §. 35. J. de R. D. L. 4. §. 2. Fin. Re-
gund. L. 22. C. de R. V. L. 4. §. 19. ff. de Ufuc. vid. STRUV. Ex. n.
tb. 23. & HOPP. ad Inst. §. 35. de R. D. In praxi tamen affir-
mantem sententiam obtinere afferunt idem STRUV. d.l. &
in Jurisprud. Lib. 2. t. 1. §. 54. & tit. 13. §. 6. ibique citati; quan-
quam praxis haec non omnino ubique sit universalis,
siquidem Collegia VVittebergensia Jus Civ. sequuntur, &

C

ita

ita a Fac. Jur. pronunciatum aliquoties fuisse, audivi, conf. etiam *ILLUST. D. BERGER. Oecon. p. 243. not. 5. & D. PRAESES Jurispr. feud. App. II. Resp. V, n. 65. 66.* Illud omnino certum est, b. f. possessorem, si arbores prostratas usuciperit, quod Jur. Civ. triennio, Jur. Sax. anno, & die sit, ex eo tempore computando, quo stragam illae passae fuerunt, contra dominum supervenientem, de restitutione ejus, in quantum locupletior factus, satis esse securum. Malae fidei autem possessor, quippe qui nullos fructus suos facit, §. 35. J. de R. D. & L. 22. C. de R. V. arbores, vi tempestatis dejetas, quasque ille percepit, aut percipere potuit, quin restituere teneatur domino supervenienti, dubium non est.

§. XIV.

*De Domini
nio revocabili
in marito.* Sunt deinde, quibus dominium competit, non perpetuum, sed revocabile, de quibus nunc disquirendum. Ex his se sistit primo loco maritus, cui fundus ex causa dotis est traditus, in cuius patrimonium res illa, cui qualitas dotalis inducta, transit. §. 40. J. de A. R. D. L. 75. ff. de Jur. dot. L. 30. C. eod. unde rem vindicare potest. L. 9. C. de R. V. & fructus rei dotalis pleno jure acquirit. L. 7. pr. ff. L. 20. C. eod. Sed quia tamen hoc dominium solum durat, quamdiu matrimonium, cuius onerum ferendorum causa constitutum, civiliter dominus maritus dici solet, non naturaliter L. 30. C. de Jur. Dot. L. 75. ff. eod. quippe qua ratione dominium penes uxorem manet in re, soluto matrimonio ad eam reversurum. Unde est, quod non omnimodo domino alii similis sit, praesertim quoad emolumenta, quae circa rem, vel ex re dotali percipiuntur. Atque ideo, quae non ut fructus ex re proveniunt, sed jure dominii accedunt, non spectant irrevocabiliter ad maritum, sed solum ea, qua dos ipsa, ratione, ac finito matrimonio, uxoris commodo cedunt. Exemplum est in thesauro, qui in fructu non computatur, sed dimidia ejus uxori, vel ejus heredibus, finito matrimonio restituendus, quasi in alieno inventus, licet interim stante

stante matrimonio eo, aequo ac fundo dotali, uti possit maritus. *BITSCHE de Thesaur.* P. 2. §. 18. Aliud est in L. 10. §. 1. L. 75. ff. de *Jur. dor.* Eadem de illis dicenda quae non cedunt in fructum L. 70. 10. ff. *J. dor.* quales res sunt arbores, quae vi tempestatis ceciderunt, quarum quidem dominium interim, quo usque matrimonium durat, maritus acquirit; earum tamen pretium restituendum est mulieri, vel ejus hereditibus, finito matrimonio, *juxta ULP. L. 7. §. 12. ff. Solut. Matrim.* ut adeo liceat marito vendere has arbores, vel alio modo in usum suum convertere, preioque frui constante matrimonio, finito vero mulieri, vel ejus hereditibus illud restituere teneatur *arg. L. 32. ff. de Jur. dor.* Quae tamen restitutio eatenus cessabit, quatenus ad usum suum, & villae, maritus ex arboribus illis evulsis, vel dejectis tulit, *arg. L. 12. pr. ff. de Uſuſr.* Atque sic hac parte similis est usufructuario, cui etiam aequiparatur, quoad arbores, quae in sylva caedua sunt evulsa, vel dejecta, vel in ea, aut etiam in non caedua, emortuae, qua de re infra agendum est. Ceterum si finito matrimonio arbores illae consumtæ non sunt, sed adhuc extant, ad mulierem, vel ejus heredes, aequo ac ipsum fundum, & civiliter, & naturaliter pertinere, non ambigo. Si vero contingat, fundum dotalem aestimato in dotem dari, & quidem non taxationis, L. 21. C. de *Jur. Dor.* sed venditionis gratia L. un. §. 9. C. de *Rei Ilx. Act.* quod ultimum factum esse in dubio praesumitur, *arg. L. 5. 10. C. de Jur. dor. ILLUSTR. BERGER. Oecon. 1. 3. 10.* pleno jure ille cum omni accessione, & periculo in maritum transit, & pretium saltum restituendum est. *BRVNN. ad LL.* Atque ideo, quae dicta sunt supra de eo, qui dominium plenum, atque irrevocabile naclus est, quoad arbores nostras inventient locum. Si taxationis causa fundi aestimatio facta, atque arborum dejectione deterior fundus factus, hoc damnum, uti & alias, non fert maritus, quoniam casu contigit, L. 18. §. 1. *Solut. Matrim. L. 26. 29. eod.* Sed praefat saltum

id, quod ex ablatione arborum, ut supra dictum, consecutus est, & in fructu non fuit.

§. XV.

In illo, qui Saepius ille, qui ex vendito dominus factus, tenetur rem emit ex pacto, ad rem vendendam iterum suo venditori, vel cum pacto eodem pretio, quod plerumque fit, & in dubio praefumitur, CARPZOV. P. 2. C. 1. d. 22. n. 1. vel alio, interdum, quo tempore retrovenditionis res venire potest SCHILT. Diff. de Jur. Retrov. c. 7. §. 3. & c. 12. §. 6. quae juncta est Arti Analyticae in Jurisp. Quod pactum non impedit, quo minus dominium interim translatum sit plene, & perfecte, licet re-vocabiliter L. ult. ff. de L. Commiss. L. 4. 7. C. de Paet. int. Emt. SCHILT. d. 1. c. 5. §. 3. Neque enim, quod ab eo dominium spectatur, id circa interim res ejus non est. arg. L. 66. de R. V. L. 1. §. 4. de SC. Silanian. L. 205. d. R. 7. Cum itaque talis dominus jure dominii, omnia emolumenta ex re, vel circa rem percipiat CARPZ. d. 1. prout etiam de thesauro affirmit BITSCH. d. 1. §. 190. seqq. consequens est, illius etiam arbores esse, vi ventorum dejectas, vel erutas, sive sylva caedua fuerit, sive non fuerit, prout supra dictum, sive sylva tota, vel magnam, aut exiguum partem, prostrata fuerit. Quod si tamen res eo deveniat, ut ille, qui rem ita emit, iterum venditori suo retrovendere, & restituere teneatur, quaestio oritur 1) utrum premium istarum arborum, si consumtæ sunt, reddere debeat novo emtori, vel 2.) Si adhuc extant, pati teneatur, ut novus dominus eas sibi vindicet, vel an ipse retrovendens illas tollere possit? Primum quaesitum nego; alterius membrum prius pariter negativa dignum censeo, alterum vero affirmo. Ratio est, quod, quoad secundam quaestionem, arbores istae, a solo separatae, semel acquisitæ sunt domino soli, eo ipso, quo separatio contigit §. 36. 7. de R. D. & A. ear. D. ubi Dd. & nulla causa est, cur dominium semel acquisitum perfecte, iterum, amittatur, aut aestimatio reialteri praestetur. Facit pro hac sententia, quod in L. 2. C. de patt. int. Empt. nulla mentio fiat

re-

restitutionis commodorum ante oblatam ex pacto quantitatem perceptorum, sed tantum eorum, quae postea ex eo fundo ad possessorem pervenerunt *Conf. ZOES. ad ff. de Retract. Convent. n. 25.* Cui sententiae non obest, quod b. f. possessor fructus perceptos, si adhuc extent, vindicanti domino restituere teneatur *L. 22. C. de R. V.* nam hic quaestio non est de b. f. possessore, & domino facto, ac de re aliena; sed de domino vero, & re possessoris vere propria, ut adeo nec opus sit praescriptione, qua & b. f. possessor fructus suos irrevocabiliter facit. In casu primae quaestioni accedit consumtio, quae, ut notum, & apud b. f. possessorem parit, ut ita loquar, irrevocabilitatem. Nec puto mihi refragari id, quod de dotis dominio antea dictum. Nam hic non per omnia similis ratio subest; dum ille, qui rem sub pacto retrovenditionis possidet, & naturale, & civile dominium habet, quod de marito dici non potest. Sed alia nunc quaestio exsurgit, utrum detrahere possit tantum de pretio, quanti minoris ob deteriorationem istam sylva, vel fundus nunc est, novus emtor? Quae quidem deterioratio tunc semper accidit, quando sylva non est caedua, & grandiores arbores dejectae. Nam ubi sylva caedua est, nec grandiores arbores evulsae, facile repullulare sylva potest, ut ideo h. c. detrimentum non adeo magni faciendum. Distinguendi ante omnia autem casus sunt; utrum 1.) res eodem pretio retrovendenda, quo emtio facta, quod in dubio, ut praecipimus, praesumitur; an 2.) illo pretio, quo nunc, cum res redimitur, venire potest, sit revendenda? Sane hocce ultimo casu nullum dubium est, rationem habendam ejus, quanti minoris pretii facta res nunc est post istam stragem, id quod judicis, & peritorum arbitrio relinquendum. Alias enim secundum praesens tempus non constitueretur pretium. Pro negativa responsione in primo casu dici potest, nihil hic imputari posse emtori, & revendori, quod impetu ventorum res sit deterior fa-

Æta, atque cum per ipsum sic non stet, quo possit rem in eodem statu alteri praestare, nihilominus praestare integrum pretium novum emtorem, et si ipsa res in eodem statu praestari nequeat. Quod eo magis dicendum, quod hæc res retrovenditioni obnoxia est quidem domini, sed ita, ut simul tanquam species alii debeatur, quo casu periculum ejus est, cui debetur. §. 3. *J. de Emt. Vend.* L. 63. ff. *de V. O.* Sed observandum tamen hic est, venditorem novum, qua in re omnes fere consentiunt, *STRVV.* Ex. 23. tb. 45. *CARPZ.* z. 1. 18, ibique *ESBACH.* jure petere, ut si res melior facta etiam sine opera sua, e. g. per alluvionem, id resarciat novus emtor, quoniam nullum aliud objectum contractum novi adest, sed illud, quod in primum contractum venit. Satisfacit igitur legi conventionis ille, qui rem iterum vendit, si idem præstat, quod accepit, neque ad plus tenetur. Eadem autem ratione emtor novus jure petere potest, ut res in eodem statu præstetur, quo vendita primum, atque, si pejor facta, tantum remittatur de pretio, quanti minoris nunc res venire potest. Namque in negotio b. f. versamur, ubi omnia præstanta invicem sunt, quæ æquitas postulat, cui omnino consentaneum est, alterum cum alterius damno non fieri locupletiorem *L. 14. ff. de Condit.* Ind. Facit arg. *L. 23. pr. de Adilit. Edict.* Atque licet nulla culpa imputari possit illi, qui hucusque rem possedit; nihilominus tamen damnum quod in re, quæ ejus eo tempore plenissimo jure fecit, nulli alii quam ipsi nocere potest arg. *L. 9. C. de Pign.* *A&T.* ut taceam illud etiam commodum, quod ex consumptione arborum dejectarum percepit, ejus cessisse lucro. Nego vero illum, qui interim dominus est, durante scilicet illo statu, debitorem esse rei sue, illud enim debitum incipit demum a tempore oblationis pretii *L. 2. C. de Pact. inter emt.* ubi constat nempe, alterum reemere velle, a quo tempore, fateor, illa omnia locum habebunt, quae infra dicemus de periculo, & commodo emtoris in contractu venditionis.

S. XVI.

§. XVI.

Fit etiam, ut quis ex emto dominus rei fiat, cum pacto addictionis in diem, quo inter emtorem, & venditorem hoc agitur, ut venditori rem venditam, alii emtori, cum pacto meliorem conditionem offerenti, addicere liceat. *L. 1. ff. additio de in diem Addit. quæ venditio vel pure fit, & sub conditione nisi in resolutiva, vel conditionaliter, & sub conditione suspensiva diem.*
 Primo casu emtio venditio statim est perfecta, *L. 2. §. 4. ff.*
*Pro Emto. per traditionem transfertur dominium L. 4. §. 3. de in diem Addit. & interim emtor fructus, ex re illa perceptos, suos facit, omnia commoda, & incommoda percipit L. 4. §. 4. d. t. L. XI. §. 10. Quod vi aut clam. Atque ideo etiam arbores vento fractae, vel erutae, durante hoc dominio, vi ejus ad illum spectant. Sed si conditio existat, emtio perfecta ita resolvitur, ut statim dominus esse definit L. 9. b. t. & retro ab ipso initio pro non facta habeatur L. 1. 2. 9. d. t. & omnes fructus ex re vendita quaesitos, omniaque commoda restituere teneatur L. 4. §. 4. L. 6. pr. L. 16. d. t. & ideo quoque arbores hafce, si extant adhuc, relinquere debet suo venditori, vel si consumtae, aestimationem illarum restituere. Si vero conditione suspensiva sit emtio ista celebrata, in pendent, & imperfecta est L. 7. ff. de Emt. Vend. nec per traditionem dominium transfertur arg. L. 4. pr. ff. d. t. L. 8. ff. de R. C. Ergo nec jure dominii sunt res istae emtoris, sed venditoris manent arg. d. L. 4. Sin vero existat conditio, & maior emtor non reperiatur, venditio retro censetur perfecta, & ideo fundo tradito omnia commoda ad emtorem spectant. Cum quo fundo & illæ ceteroquin arbores tradi debent, quæ ante traditionem dejectæ fuerunt arg. §. 3. f. de Emt. Vend. Quæ *Quando* vero dicta sunt de re emta cum addictione in diem, cum emtioni conditione resolutiva, illa omnia etiam locum habent L. Comtunc, ubi lex commissoria adjecta est, ut pretio non soluto missoria res sit inemta L. 1. 2. 4. pr. de L. Commiss. Hæc enim emtio adjecta statim fuit.*

statim perfecta est, & dominium accedente traditione transfert, & cum eo jus percipiendi fructus, & omnia commoda L. 1. 2. §. 3. L. 5. ff. de L. Commiss. L. 2. §. 3. pro Emr. Atque ideo arbores nostræ ad eum, qui ex tali emtione dominus factus est, omnino pertinent; restituendæ tamen sunt cum re, si clausula commissoria effectum suum sortitur, quippe quæ emtionem, & dominii translationem ipso jure retro solvit. L. 2. ff. de L. Commiss. L. 19. de Uſurp. & Uſuc. Resoluta vero utroque casu emtione venditione omne illud restituendum est, quod emtor forte jam pretii loco solvit, quoniam utrinque res in pristinum statum redit, nec detrahere quid potest ideo, quod ob stragem res pejor facta, quia & apud ipsum si res fuisset, in quem statum nunc causa redigitur, idem contigisset.

§. XVII.

*In illo qui rem pos-
ſidet re-
tractui
obnoxiam,* Idem judicium ferendum de eo, qui rem, retractui obnoxiam, possidet; ille enim citra dubium, re tradita, ut dominus rei incumbit, quoniam dominii translationem jus retractus non impedit. Et hanc ob causam omnes fructus, omniaque emolumenta ex re acquirit, & arbores nostras percipit, sed retrahenti cum fundo, & arbores istas, aut illarum estimationem, si non extant, restituere tenetur. arg. L. 2. C. de paſt. int. Emtor. CARPZ. P. 2. C. 32. d. 7. Retrahens vero, qui idem premium solvere debet, quod emtor b. f. dedit CARPZ. P. 2. C. 33. d. 5. nihil poterit de pretio detrahere, eo quod fundus deterior factus. Subit enim retrahens in locum emtoris, atque sic idem est, ac si statim ab initio rem ipse emisset. Uti ergo, si hoc statum, & retrahens rem emislet statim, non interveniente alio emtore, premiumque solvisset emtori, damnum si quod contigit post traditionem, imo etiam post venditionem ipsius fuisset, ita etiam nunc est, ubi volens in locum emtoris concedit. Cujus emtoris jure tum retrahens plane pleneque utatur, & nullum commodum emtori relinquat, nulla

nulla causa est, cur partem pretii, quod solverat, perdat. Res enim in eum statum, ac si nunquam rem emisset, venit. Qua parte observandum, hos casus sc. ubi ob additionem in diem, L. commissoriam, aut propter retractum res restituenda, insigniter differre a casu, ubi emtio venditio, & dominii translatio resolvitur ob pactum de retrovendendo. Nam prioribus duobus casibus existente conditione, emtio venditio, & dominii translatio plane, & quidem retro solvitur, atque sic res in eum statum venit, ac si nunquam ista omnia fuissent facta. Ubi de retractu agitur, emtio venditio, inter venditorem, & primum emtorem non quidem dissolvitur, emtoris tamen jus, ex venditione, & traditione ortum, transfertur, & quidem retro in alium, retrahentem scilicet, ita ut idem sit morali aestimatione, ac si res ab initio venditori cum retrahente fuisset. Neutrum horum sit in retrovenditione. Nam venditio, & traditio inter venditorem & emtorem celebrata, resolvitur quidem existente tempore, & facta oblatione a reemente, sed non resolvitur retro, aut ex tunc, verum in praesenti & ex nunc, nec jus emtoris primi in alium transfertur, sed nova nunc venditio nascitur, & de novo dominium, a primo emtore in redimentem tanquam novum emtorem transfertur. Ex quibus differentiis diversitas jurium quoque oritur.

§. XVIII.

Hactenus de dominio pleno, eoque vero, vel ficto, *De do-*
actum est. Cum vero dominia rerum quandoque ita di-
vellantur, ut duæ ejus partes constituantur, quarum dire-
ctum altera, altera utile dominium vocatur, vel saltim habet
proprietas ab utendi fruendique facultate separata sit; igi-
tur de hac re nunc dispiciendum est. Conspicuam ea res
se primo maxime reddit in feudo, ubi si sub fidelitatis le-
ge sylva, vel sola, vel cum castro, prædio, aut villa alicui
concessa fuerit, dubium est, num arbores vento dejectae,
Vafallus
D
domi-

domino directo, num vero vasallo obvenire debeant? Evidem ea omnia, quae usufructuario in fundo, in quo ususfructus competit, ratione arborum nostrarum competent, etiam ad vasallum pertinere nullum est dubium: nam & feudum, vel jus vasalli, in feudo est ususfructus quidam, ut ait *Feudista II. F. 23. in fin.* Verum neminem fugere potest, jus vasalli majus omnino, & fortius esse, quam usufructuarii; hicce enim tantum gaudet jure servitatis in re usufructuaria, quae aliena est; vasallus autem particulam dominii ipsius habet in re, hoc intuitu propria, quæ dominium utile vocatur, das nuzbahre / Nieder- Eigenthumb / vi cuius facultas datur vasallo re feudistica plenissime utendi fruendi, atque quamlibet commoditatem, & utilitatem, ex re feudali obvenientem, percipiendi, licet in fructu alias non sit. ROSENTHAL. de Feud. c. 8. Concl. 12. n. 5. STRVV. Synt. Jur. Feud. c. 12. tb. 3. & 4. seqq. Unde & thesaurus in feudo a vasallo inventus, vel ab alio data opera repertus totus, ab alio autem fortuito inventus, pro dimidia parte vasallo vindicatur, & quidem ita, ut ejus perpetuo maneat, nee feudo finito domino restituendus sit. ROSENTHAL. c. 5. Concl. 39. CARPZ. P. 2. C. 53. d. 6. qua parte maxime differt ab usufructuario, ad quem thesaurus repertus non pertinet, nisi quatenus inventoris partes sustinuit, quoniam in fructibus non est. CARPZ. d. 1. STRVV. d. 1. c. 12. tb. 5. Pariter differt a marito, quem quidem constante matrimonio uti posse thesauro diximus ab eo invento, sub lege tamen restitutionis, pro dimidia parte, si ipse scilicet invenit, juxta L. 7. §. 12. ff. Solut. Matrim. Nam etsi & hic dominus sit fundi dotalis, civiliter tamen tantum dominus est, vasallus vero etiam naturaliter. Nec est, quod obvertas, non plenum esse dominum vasallum, dominiumque ejus revocabile esse: Nam dominus tamen est, & ea parte dominii gaudet, quæ in jure percipiendi plenissime omnia commoda ex re feudali consistit, qua Dominus minus

minus se abdicavit. Et licet haec pars dominii ad donum interdum redeat, id tamen non statim fit morte possessoris, saltim feuda non ea mente dantur, ut mortuo possessore illa expiret, sed ut ad descendentes ex vasallo transeat; & sic non ita revocabile est, ac dominium mariti: quin & jam si maxime ita datur, ut ad heredes non transeat, altera tamen ratio supereft, propter quam eadem decisio, & hic locum habet, nisi forte, aliud actum esse, apparet. His ita positis, intrepide ajo, omnes arbores illas dejectas sine discriminē ad vasallum pertinere, illumque eas in usum suum convertere posse, & ita quidem, ut nec pretium domino, vel agnatis, vel simultaneo investitis, si feudum ad eos redeat, vel devolvatur, restituere tenetur. Nec quicquam facit, quod ita feudum deterius fiat, dominoque damnum contingat, si praesertim tota sylva, vel magna pars ejus devastetur: nam nihil hic culpae imputari potest vasallo. Quicquid ergo hac parte casu contingit damni domino, vel aliis successoribus feudalibus, patienter id ferre debent, æque ac si omnes sylvae arbores, quod sæpe fit, emortue fuerint; nec invidere, si vasallus ex damno hocce, quod & ipsi satis nocet, solatium quoddam ex usu arborum dejectarum capiat. Illud interim non nego, ad officium ejus tanquam boni patrisfamilias, & viri, pertinere, ut non statim omnes arbores tollat, atque vendat, sed servet illas, quoisque id fieri potest, ad usum comburendi, vel ædificandi, atque interim abstineat, a cæsione arborum vivarum, atque stantium, illasque usui futuro servet. Quod idem officium boni viri, & patrisfam. & hoc exigit, ut quantum fieri potest, alias arbores in locum dejectarum, vel erutarum * plantet vel substituat, arg. L. 18. ff. de Iusuf. vel ut illarum, quæ repullulare possunt, non impeditat in-

D 2

cre-

* De qua re secundum regulas economicas agit illustr. de Carolowiz in Tract. von der wilden Baum-Zucht vid. Leyser. Jus. Georg. 3. II. 37.

crementa, caveatque ita, ne per immissionem pecorum, & depastum illi noceatur, & paucis, omne illud agat, quo, quantum fieri potest, in pristinum statum fundum restituere queat. Qua parte tamen & illud non omittendum, nihil impensarum nomine repeterem posse vasallum, quippe qui ad has faciendas, ut ex dictis patet, ipse tenetur, & eas cum commodo ex arboribus dejectis perceptas compensare debet. SCHRADER. P. 2. P. 9. S. 5. n. 26, 36. D. KREBS. Tract. de lign. & lapide P. 1. Cl. 4. Sect. 5. §. 6. Qua in re differt vasallus ab usufructuario, ut infra videbimus. Plane sicubi legibus, statutis, vel pactis aliud receptum, in eo merito acquiescimus.

§. XIX.

Emphyteuta- Similis partitio dominii in directum, & utile competit, si fundus jure emphyteutico concessus. Cum itaque Emphyteuta, æque ac Vasallus, dominium utile in re emphyteutica habeat, licet in aliis quibusdam differat a vasallo. STRUV. c. 2. tb. 10. D. PRAES. c. 2. tb. 14., idem, ut paucis me expediam, jus erit, quoad arbores dejectas vento, emphyteutæ, quod vasallo esse dixi. Ad quem, quæ de officio vasalli diximus, ea quoque sine dubio spectant, cum & hic ex natura negotii, ad meliorationem fundi, nedum ad ejus conservationem, in statu quo fuit, teneatur §. 3. 7. de Loc. Cond. ibique Dd. 1. r. C. de Jur. Emphyt. Etsi vero emphyteutæ ratione censis similis sit censuarius: quia tamen hic pleno dominio gaudet, sive census sit reservatus, sive constitutus, ea quæ de alio domino pleno dicta, etiam de hocce domino affirmanda sunt. Conf. D. PRAES. d. l. Quænam ratio contractus, & juris superficiarii sit, eleganter, & ita exponit FRANZK. ad tit. Locat. Cond. n. 40. seqq. & de Laudem. c. 13. ut nemo melius. Prodit & hic se se divisio dominii in duas partes, directi nempe, & utilis. Sc. superficies nostratis vocatur, quicquid est super faciem terræ, ut parietes, tecta in prædiis urbanis, arbores, herbæ, &

Quid ju-

ris in cen-

suario?

Superfi-

carius

fru-

frutices in prædiis rusticis FRANZK. de Laudem. d. L.
 Hæc superficies solo cohæret, & ad dominum soli per-
 tinet, pout, quoad arbores, apparet ex L. 40. ff. de Abt.
 Emt. Vend. L. 13. ff. de Serv. Praed. Rust. junct. L. 44. §. 1. de
 O. & A. L. 50. ad L. Aquil. Poteſt tamen & aliquando ſepa-
 rari superficies ita a ſolo L. 9. §. 4. L. 18. §. 4. ff. de damno inf.
 L. 15. ff. qui pot. in pign. ut peculiare jus ſuperficiario, quod
 idem eſt, ac particula dominii, vel dominium utile fundi,
 conſtituatur, prout ex tit. ff. de ſuperficieb. fatis notum eſt.
 Quando itaque alicui sylva, vel vinea, ac vel unica etiam ar-
 bor, titulo allodiali, vel feudalii data, confeſſaque eſt, utrum-
 que & ſolum, & arbores, quia ex utroque sylva, vel vinea &c.
 conſiſtit, datum eſſe cenſetur. SCHRADER. de Feud. P. 3.
 c. 4. n. 12. Interim tamen & fieri potheſt, ut alii tantum
 ſuperficies, e. g. tantum arbores, vel vites condeſtantur.
 SCHRADER d. l. quo caſu, ille cui confeſſio facta, jus ſu-
 perficiarium nanciſcit, quod durat, licet arbores, vel vites
 penitus ſuccifae, extirpatae, vel vi ventorum dejectae fue-
 rint. Si tamen ex radicibus, vel ſtirpibus arborum, vel vi-
 tum renaſcantur aliae. CAEPOLL. de Servit. Praed. Rust. c. 81. n. 15.
 arg. L. 44. §. 1. in fin. de O. A. Nam si sylva, vel vinea radici-
 tus extirpatur, & aliae arbores, vel vites ex ſtirpe, vel fe-
 mine novo producuntur, tunc jus extinctum eſſe cenſetur.
 SCHRAD. d. l. n. 15. quod quidem facile concedi potheſt, si
 tantum arbores, vel vites ſylvæ, vel vineæ confeſſae; quae, si
 radicitus extirpatae, nihil ſupereſt, in quo jus ſuperfici-
 riū exerceri poſſit. Si vero ſuperficies ita confeſſa, ut
 liecat ſuperficiario in ea arbores, vel vites plantare, quod
 in dubio praefumitur, jus ejus non definere credo,
 licet penitus illæ extirpatae ſint, ſed facultatem ſupe-
 reſſe, alias ſupponendi, & plantandi. Quicquid hujus
 ſit, ſi arbores in fundo, qui jure ſuperficiario ad me per-
 tinet, dejectae, vel fractæ fuerint, neminiſ alterius eſſe poſ-
 ſunt, ſed meae ſunt: pariter ac de vasallo, & emphyteuta
 dictum. Conf. D. KRÆBS. d. l. P. 1. Cl. 3. Sect. 5. §. 1.

Quid ob- Neque tamen solum ex dominio sive vero, sive ficto re-
tineat in vocabili, sive non, sive pleno, sive minus pleno; sed etiam ex
servituti- servitute interdum constituta, jus in arbores, vehementia
bus? ventorum profligatas, oritur. Idque fit vel ob servitutem re-
alem, vel personalem. Contingit enim, praedio saepe in alio
in servi- jus lignandi (Holzungs-Gerechtigkeit) competere; quod vero
tute reali. non est uniforme, vel saltim variis gradibus constat. Namque
interdum in toto sylva competit, interdum ad certa loca re-
strictum est, interdum ad necessarium duntaxat praedii usum,
& quidem vel ad focum tantum, vel quoque ad aedificandum,
raro ad vendendum est concessionem. *Meuer, Jagd und Forst-
Recht P. VII. WESENB Conf. 103. n. 181.* Ubi tamen semper
secundum modum, & morem boni patrisam, non inordi-
nata, ac sylva immatura, est exercendum. *DN. KREBS. d.
de lign. & lap. P. 1. Cl. 4. Secl. 5. §. 3. Conf. Ord. Magd. in Corp.
Conf. Magdeb. P. 3. c. 9. Secl. 5.* Interdum etiam hoc restri-
ctum est ad aridos ramos, vel ligna emortua: alicubi suc-
cidere licet ramos, interdum tantum colligere, ita, ut non
permittum, securim, vel simile instrumentum, ad caeden-
dum aptum, adferre. Saepe statim temporibus ligna caedere,
vel colligere licet, aliis vero non, *D. KREBS. d. 1. §. 6.* Quousque autem, & in quantum jus lignandi competit,
ex verbis concessionis, si expressa adest, colligendum;
quaesif deficit, ex usu, & possessione res aestimanda est,
& si de jure ipso quaestio sit, regula habeat locum: *tanum
praescriptum, quantum possedium.* Qua parte tamen in uni-
versum notandum, concessionem istam, ut in materia
omnium servitutum sit, strictissime esse explicandam. Ut
adeo etiam, si ad alium dominum veniat, qui instructus fa-
milia numerosiore, successor hic non plus sibi arrogare
queat, quam antecessor acquisivit *D. KREBS. d. 1. S. 6. §. 2.
n. 5.* Sane, si Princeps ex gratuita concesione subditis, ut
saepe fit, indulget, ut ligna caedere, vel legere possint,
hoc

hoc beneficium quidem benigne explicandum est, non tamen supra modum, & praeter intentionem Principis, qui ipse optime aestimare potest, quem modum sui beneficii esse velit. *L. ff. de Conf. Princ. L. 191. ff. de R. J.* Ex quibus facile judicari potest, quid sentiendum sit de arboribus vento dejectis. Scil. arbores vento dejectas ad dominum fundi spectare quidem, dominum tamen praedii, qui hoc jure gaudet lignandi, vel in ejus quasi possessione constitutus est, arboribus istis uti etiam posse, illasque in usum suum convertere; secundum istum, tamen modum quo acquisivit illud jus, vel in ejus exercitio deprehenditur.

§. XXI.

Porro ex servitute personali jus quoque in arbores *Quid ju-*
hasce nasci potest. Qualis etiam, ut sit servitus lignandi, ris sit in
contingere potest, si non praedio, sed personae debeatur personali?
L. 37. ff. de Serv. Praed. Rust. Tales vero servitutes cum etiam
 sint ususfructus, & usus, de his nunc hoc loco agendum
 erit. Quenam natura sit harum servitutum, aliunde no-
 tum est, nec opus, ut pluribus hic exponatur. Dispicien- *in usu-*
dum igitur hic erit, quodnam jus usufructuario, ratione fructu.
 arborum, vi ventorum dejectarum, competit, si quando fundi vel sylvae ususfructus constitutus fuerit. Claram ejus rei
 decisionem suppeditant *L. 10. n. & 12. pr. ff. de usuf.* quippe
 quae LL. satis dilucide distingvunt inter sylvam caeduam,
 & eam, quae caedua non est; Ita scil. ut usufructuarius, cum
 ei succidendi arbores sylvae caeduae, vendendi *L. 9. §. f.*
ff. eod L. 10. eod. & quoconque modo utendi sylva caedua
 facultatem habeat, dummodo boni viri arbitratu id fiat
d. L. 9. pr. quin & arbores vento in illa dejectas, sibi vindicare
 queat, ambigendum non sit. Ejusque rei ratio non
 adeo obscura est, nimirum quoniam sylvae caeduae arbo-
 res renasci solent, atque igitur non adeo ad ipsam sub-
 stantiam proprietatis, quam salvam, integrumque propri-
 tario relinquere tenetur usufructuarius *L. 13. §. 4. ff. de usuf.*

per-

pertinent. Inciduae tamen sylvae arboribus non eodem modo utitur, quippe quae sunt de ipsa proprietatis substantia, atque ita ad usufructuarium, qui tantum fructus renascentes percipit, pervenire nequeunt. Aliquod tamen juris in sylva non caedua usufructuario competit: nam 1.) potest arbores gremiales tollere, quae in fructu sunt. arg. L. 7. §. 12. ff. Solut Matrim. 2.) etiam emortuas, L. 18. 69. 70. ff. de Usuf. 3.) ex non caedua sylva in vineam, aliamque necessitatem villae sumere pedamenta, & ramos, & materiam, modo abstineat a grandioribus arboribus L. 10. n. 12. pr. ff. de Usuf. & non faciat fundum deteriorem d. L. 10. j. L. 38. ff. de Eviēt. Quidni enim usufructuario indulgetur, quod sine dispendio proprietarii futurum est. A. FABER. ad d. L. 10. Quod autem ad arbores vivas evulsas, vel vi ventorum dejectas, attinet, LABEO ait, usufructuarium usque ad usum suum, & villae eas tollere posse, nec materia eum pro ligno usurum, si habeat, unde utatur ligno. Quam sententiam veram putat ULPIANUS in L. 12. ff. d. Usuf. Quae, ut rectius intelligi posit, praemonendum, ligni appellatiōnem nomen generale esse, sed sic separari, ut sit aliquid materia, aliquid lignum in specie scil. sic dictum. Materia est, quae ad aedificandum, fulciendumque necessaria est; lignum, quicquid comburendi causa paratum est. Ita nos docet ULPIANUS in L. 55. pr. de legat. 3. L. 14. ff. de Peric. & Commod. rei vend. Sensus itaque hujus legis hic est, esse quidem, & remanere proprietario arbores evulsas, aut vi ventorum dejectas, quas fructarius suo jure caedere non potuisset, cum nunquam in fructu fuerint, quia sunt e re ipsius, vel ex re ejus supersunt L. 49. §. 1. ff. de R. V. haec tenus tamen licere usufructuario iis uti, in quantum & sylva integra uti potuisset, & caedere ex ea in utilitatem & refectionem vineae, aut villae, dum ne deteriorem faciat sylvam, vel fundum. Non itaque permittendum esse, ait, fructuario, ut ligno, quod materiae loco esse potest ad aedificandum, abutatur ad combu-

comburendum, sed hoc ita, si modo aliunde habeat lignum, quo utatur. Si plus indulgeatur fructuario, omnes arbores, si totus etiam ager hunc casum passus, ille auferret, sive ad comburendum, sive ad ædificandum, sive ad vendendum; quod esset perabsurdum; ita enim fieret, ut nulla proprietatis utilitas supereret. *FABER ad d. l. 12. pr.* Itaque omne id, quo usufructuarius ex arboribus dejectis, vel eritis turbine, uti non potest, ad proprietarium spectat. Debet tamen ille eas arbores tempestive tollere, ne per illas usufructuarius impediatur, in liberissimo jure re utendi, fruendique. Si vero illas arbores vento dejectas non tollat, & per id incommodior sit usufructus, suis actionibus, puta ex testamento, si usufructus legatus, confessoria *L. 5. §. 5. cum L. L. seqq. quib. mod. usufr. amitt. &c. usufructuario cum eo experiendum est L. 19. §. f. de usufr. ACCURS. ad L. 12. §. 1. ff. de usufr. & ad d. L. 19. FABER ibid.* Dantur autem illæ actiones, ne faciat quid præcise, sed ut vel tollat arbores, vel eas pro derelicto habeat, ut fructuarius ipse eas auferre queat. *L. 5. §. ult. de damno infect. L. 2. §. 40. ff. ne quid. in loc. publ.*

§. XXII.

Diximus emortuas arbores, sive ætate, sive carie confe- *Ad usu-*
ctas, aridasque ita in fructu esse, & ad usufructuarium per-
fructua-
tinere, ut nihil juris in eis habeat proprietarius: quod as-
serimus sine discrimine, sive adhærent adhuc solo, sive etant ar-
aeris vi, & impulsu prostratae, ac fractæ sint: ita ut ille ha-
beat tum facultatem cedendi, si nondum fractæ, & *emortue:*
evulsa, tum auferendi, quando vim illam passæ. Quod
aliter se habet, ut diximus, intuitu virentium, & vivarum,
dejectarum tamen turbine. Differentiae rationem vulgo
Dd. hanc suggesterunt. Nimirum quod usufructuario de- *Ratio hu-*
beantur omnes fructus ex re, qui naturaliter percipi pos-
sunt L. 7. pr. L. 9. pr. ff. de usufr. arbores vero mortuæ,
& proper vetustatem exsiccatae, si cadant, vel vento fra-
E *ctæ,*

ctæ, vel carie confectæ, perinde sint, ac si naturaliter illud eveniret, itaque tanquam fructus naturales cedant usufructuario: arbores autem videntes, si vi tempestatis, aut ventorum ebellantur, dici non posse, eas naturaliter cedisse; quin potius ex accidenti id fiat, & casu eveniat: proinde usufructarius arbores videntes, casu fortuito dejectas, habere non posse; idque ideo quoque, ne sic, si sylva tota stragem patiatur, omnibus arboribus proprietarius privaretur, & sic tota sylva pereat proprietas. *L. 12. ff. de Usufr. vid. JUL. CÆSAR. RUGINELLUM Tract. de Arborib. Controversis cap. 14. n. 64.* Addit laudatus *RUGINELLUS d. l.* hanc quoque rationem, quod, quantum non adeo multa moriantur arbores, loco damni, quod ob fructus arborum, usumfructumque, qui alias ex iisdem percipi poterat, usufructarius sentit, mortuas arbores capere in *cit.* *L. 18. ff. de Usufr. jubeatur;* cum vero plurimæ arbores ventorum violentia saepe prosternantur, illæ, siquidem antea videntes fuerint, ad proprietarium spectare debeant. Quæ quidem satis accurate rationem hujus rei explicant: siquidem non negandum est, quod per arbores emortuas non tam magnum metuendum sit damnum proprietatis, quantum quidem per violentiam tempestatum, & turbinum fieri potest, quippe, ubi tota sylva prosterri, & sic tota quoque perire potest proprietas, quorsum etiam *ULPIANUS in L. 12. pr. ff. de Usufr. ibi. omnes arbores auferret proprietarius,* respxisse videtur. Et haec quidem res me eo perducit, ut credam, eo casu, quo contigit, totam sylvam, vel magnam ejus partem, quod quidem factum meminimus, simul ac semel emoriatur, arbores illas emortuas, non ad fructuarium, sed ad proprietarium pertinere.

§. XXIII.

Usufructarius in locum

Sed & eo casu, ubi usufructarius arbores exsiccatas, emortuasque, ventorum vi, vel sine ea prolapsas, sibi vindicat, proprietas illarum domino perit. Ast sciendum usufru-

usufructuarium, licet arbores istas capiat, ad substituendas emortuas tamen novas in locum demortuarum teneri. L. cit. 18. ff. de rum substituendo ut scil. ita proprietas salva conservetur, atque integra. situere Quanquam tamen ideo non dicendum sit, ob solam substitutionem, jus tollendi arbores emortuas, usufructuaria novas rio competere; quippe quod potius ideo fit, quod natura- liter contingat arefactio, & non vi externa, sed intrinseca quadam accidat. Substitutione enim aliarum arborum tantum causa est, sine qua non facile usufructuario conceditur facultas tollendi arbores arefactas, ut tradit BRUNNEM.

ad cit. L. 18. ff. de Usuf. n. 3. Quod si autem accidat, ut Non inventorum injuria evellantur arbores virentes; ad substitutum vi- tutionem novarum, in locum evulsarum, plane obli- rentium gatus non est usufructuarus L. 59. pr. ff. de Usuf. ubi FABERI vento- & BRVNNE. Atque satis aequae haec ita constituta sunt; rum evul- cum enim usufructuarus non omne commodum ex arbo- sarum ribus vento dejectis sentiat, sed tantum pro usu, ac refecti- one praedii usufructuarii iisdem fruatur vid. dicta §. 21. ini- quum omnino foret, ad restaurandam sylvam per substi- tutionem novarum arborum usufructuarium adigere velle. Atque cum cit. L. 59. indistincte afferat, arbores vi tempesta- ris dejectas, a fructuario substitui non debere; neque etiam ad substitutionem illarum arborum, quibus ad reficiendum, restaurandumque praedium usufructuarium usus fuit, usu- fructuarus tenebitur. In utilitatem enim proprietatis con- versae sunt illae arbores, atque ita usufructuarus compelli nequit, ut restituat; atque ita cum suo damno locupletior existat proprietarius, contra L. 14. ff. de Cond. Ind. Neque etiam afferendum, quod fructarius arbores vento dejectas tunc demum sibi afferere nequeat, si in locum dejectarum alias novas non substituat, quemadmodum L. 59. ff. de Usuf. explicat BAROSA ad L. 7. §. 12. ff. Solut. Matrim. n. 21. citatus a BRVNNE. ad L. 18. ff. de Usuf. n. 2. & 3. ab eoque ibidem refutatus. Namque L. 12. pr. de Usuf. satis clara est, expresse

sanciens, usufructuarium, arbores viventorum dejectas, ex sylva non caedua, non posse in usufructu habere, sed ad proprietarium illas pertinere, qua propter etiam substitutio cessat in d. l. 59. ff. eod. Quid quod, si etiam usufructuarius in locum dejectarum alias substituisset, dejectasque sibi vindicasset, non tamen ab onere restituendi pretii proprietario arborum illarum dejectarum, ad quod per L. 7. §. 12. ff. Sol. Matrim. tenetur, liberabitur; quamvis & tunc impensas repetere posit. Ceterum si ususfructus in sola sylva, nullo respectu ad solum habito, concessus fuerit;

*Constituto
usufructu
in sole
Sylva,
nullo re-
spectu ad
solum ba-
biso, quid
obtineat
arboribus.
vento de-
jectis?*

tunc ususfructus eo ipso, cum arbores vento prosternuntur, plane in illis expirat, atque ita usufructuario in illas arbores nullum amplius jus competit, sed plenum dominium post stragem factam obvenit rursus proprietario. Certum enim est finiri usumfructum rei interitu, atque mutatione L. 5. §. 2. ff. quib. mod. ususfr. L. 10. §. 5. L. 31. ff. eod. quippe quod jus ususfructus in corpore consistat, quo sublato, vel in aliam formam redacto, & jus quoque tolli necesse sit pr. 3. de Uſufr. Contingit autem maxime ususfructus mutatio in arboribus, quando ventorum injuria dejiciuntur; siquidem singulæ arbores in usumfructum concessæ videntur, dum ususfructus sylve constituitur, atque sic in singulis quoque ususfructus expirat. Quatenus autem sylva prostrata non est, catenus etiam salvus remanet ususfructus, & tantummodo in parte ista sylvae perit, quæ turbine dejecta fuit. vid. L. 6. L. 10. P. I. & 7. ff. quib. mod. ususfr. Quod si tamen talen sylva stragem patiatur, ut quam paucissimæ arbores integræ remaneant, totius sylvae ususfructus expirare videtur. arg. L. fin. ff. quib. mod. ususfr. Si in una arbore ususfructus concessus, illa extirpata, eadem ratione cessat, & arbor dejecta ad dominum spectat.

§. XXIV.

Obtinent vero hæc omnia, sive ex voluntate hominis tacita, vel expressa, sive ex ipsa Legis dispositione ususfructus constitutus, isque vel particularis, vel etiam universalis. Atque adeo ad patrem, qui bonis liberorum adventitiis jure patriæ potestatis utitur, fruitur *L. i. & 2. C. de bon. in patre matern. L. 6. C. de bon. que liber.* itidem in terris Saxonicas ad maritum usufructuarium bonorum paraphernalium uxoris *in marito applicari omnia, quæ dicta sunt, possunt.* Quoad usumfructum tamen universalem id observari meretur, quod *bonorum usufructarius v. c. pater, vel maritus arbores istas, ventorum vi dejectas, quatenus alias ad usufructuarium haud pertinere diximus, vendere posint, atque pecunia ex illis redacta uti, quamdiu durat usufructus, hac tamen lege, ut eo finito pecuniam restituant proprietariis, nisi fortasse ad usufructuarium pertineat jure successionis.* Nam cum omnibus bonis usufructarius utitur fruitur, etiam his arboribus, vel pretio ex iis redacto uti potest, salva tamen sorte. *Conf. CARPZ. P. III. Conf. XXV. def. 4. 5.* De bonis uxoris dotalibus supra actum §. 14. Quoad receptitia autem paucis observandum, si illa in fundis, & sylvis consistant, nihil juris marito, quoad arbores nostras, competere; quia ea bona uxor sibi foli reservat; id quod etiam de bonis paraphernalibus secundum Jus Civile dicendum, quorum ratione marito nil nisi administratio, ex voluntate mulieris, competit. *L. 8. L. ult. C. de pact. convent. HUBER. ad tit. 9. de excus. tutor. §. 1.* Solet vero uxoribus illustribus, & nobilibus, post mortem maritorum dotalitium constitui, quod hodie plerumque consistit in perceptione certorum reddituum, ex feudo, vel alio fundo praestandorum, de qua re alibi agitur. *D N. PRAES. Jurisprud. Feud. Cap. XXI. §. 7.* Interdum vero etiam in feudo ipso, vel fundo, vel certa ejus parte, consistit: quo casu, qui quidem hodie non adeo frequens esse solet, nil aliud actum, quam ut usufructus viduae in illa

E 3

*in vidua
ratione
dotalitii.*

re

re constituatur. Qua de re late agit HENELIUS de jur. dotalit. CARPZ. P. Ib. Conf. XLII. def. 2. & Lib. 6. Resp. 55. Hoc casu ratione sylvarum, & arborum vidua illustri, vel nobili, idem jus, quoad sylvas & arbores competit, quod usufructuario. Quo pertinet sententia Speculo Jur. Sax. subjuncta Tit. von Leibgedingen / Conf. AHASV. FRITSCH. de jure Bosandi memb. 3. n. 4. & LEYSER. de Jure Georg. 3. n. 39. Nihil ergo supereft, quam ut dicta de arboribus vi ventorum dejectis ad hunc casum applicemus.

§. XXV.

*Quid ob-
tineat in
Sylvis,
quarum
usus tan-
tum con-
cessus?*

Haec in usufructu sylvarum constituto, ratione arborum, violentia turbinum prostratarum, ita se se habent. Ubi vero usus sylvae tantum concessus est, idem jus, quod usufructuario tribuitur, usufructario non competit. Minus enim juris in usu, quam usufructu esse, notissimi juris est, per §. 1. J. de Uſu & habit. Arbores itaque vento dejectae ex sylva, in qua usus concessus est, ad usuarium spectant, saltem, quatenus ad summam necessitatem, & usum quotidianum opus est. d. §. 1. J. de Uſu & habit. L. 12. §. 1. ff. eod. Neque interest, num ex sylva caedua, an incidua prolapsae fuerint; neutro enim catu potius jus illi competit. Namque quod de usufructuario dictum, quod omnes arbores, ex sylva caedua prostratas, tanquam fructus fundi, suas faciat, ad usuarium applicandum non est, quippe qui fructibus non, nisi pro necessariis vitae subsidiis, utitur, d. §. 1. atque proinde arbores istas tantum capit, quorum ad quotidianum usum, & comburendum indiget. Ex incidua etiam sylva arboribus, tempestatum injuria depresso, non aliter utitur, neque eas ad usum quotidianum, necessariumque adhibere potest, si que usui sufficere possunt, aliunde habere queat. Proxime tamen iura usuarii ad ea, quae usufructuario competant, accedere, affirmare videtur L. 22. pr. ff. de Uſu & Habit. unde etiam usum sylvae concessum tantum praestare, quantum ususfructus afferat BICCIUS

Coll.

Coll. Arg. encl. t. de Usu & Habit. §. 4. quippe quod juxta cit. Li-
vendere, & caedere possit usuarius arbores sylvae usuariae,
quod & ipsi usufructuario licet. Ast quemadmodum hoc
nec usufructuario indistincte licere, & non nisi ex sylva
caedua vendendi facultatem ipsi esse posse, ex supra dictis
patet; ita de sylva caedua tantum d. L. 22. accipienda, & illa
ita explicanda erit, ut scilicet vendendi arbores usu-
ario copia sit, quantum pro familiae necessitate, & quoti-
diano usu opus habet. Atque haec vendendi usuarii fa-
culta nec quidem ad quamcunque familiae necessitatem
extendenda, sed ad eam tantum, quae in lignorum usibus
consistit, applicanda est, ita ut usuario vendere liceat tot
arbores & ligna, ex usuaria sylva, quot pro necessitate, &
quotidiano usu opus est, si scilicet aliunde ea appor-
tare, quam ex sylva usuaria, commodius ipsi videatur, vid.
D.N. KREBS de lign. & lapid. P. 1. Cl. 4. Sect. 5. §. 17. n. 3. & 4.

§. XXVI.

Usus hic, quem commonstravimus, in dubio potius, *De Arbo-*
quam ususfructus constitutus esse videtur, quando salarii *ribus ex*
loco, illi, qui officio quodam fungitur, sylva utenda con- *sylva de-*
ceditur, ita scilicet, ut ratione officii potius, quam ratione iectis, que
personæ usus hic constitutus fit, & omnibus, qui in offi- *illis qui*
cio illo succedunt, jus, ligna ex sylva percipiendi, compe- *officium*
tat. Tunc itaque ligna & arbores sylvarum concessarum, admini-
stra tantum in usus fuos convertere possunt administrato- *strant*
res officiorum, ut solum ad necessitatem familie adhibe- *utenda*
ant, ne successoribus prejudicium fiat, & postmodum concessa
deficiant ligna, ad eundem usum, & sic antecessoris facto est,
subtrahatur successor pars salarii, omnibus in illo officio
succedentibus constituta. Quam maxime haec conspicua De arbo-
*funt in Parochis, quibus sylvæ (Pfarr-hölzer) quandoque *ribus ex*
ita conceduntur, ut illi tanquam salarii partem, ligna ad sylvis pa-
quotidianum usum inde habere queant. Id quod apud rochiani's
nos ex Art. Gen. 31. ibi: daß hinführo denen Pfarr- Herren ihres Pfarr-
*Gefal-**

Hölzer)
dejectis

Gefallens Holz zu hauen nicht verstattet / besondern nach großer Gelegenheit / auch Abtheilung des Holzes zu rechter Zeit / und an guten gelegenen Orten (damit es wiederum wachsen / und nicht etwa gar verhauen werden möge) mit Vorwissen der Erb- und Lehns-herren / da die vorhanden / oder zu erlangen / oder in Mangel des Richters / und der Kirch-Väter nothdürftig Feuer-holz zu hauen / angewiset / und ferner nichts weder durch sie / die Pfarrer / oder jemand anders aus den Pfarr-hölzern zu Brenn-holz oder zu bauen etwas gehauen werde / damit alle nachkommende Pfarre sowohl und vieles Holzes finden und haben mögen / wie die jetzigen Pfarre haben und bekommen. item, ex Decr. Gen. Synod. JOAN. GEORG. I. d. Anno 1624. §. die Pfarr-Hölzer ic. ibi. die Pfarr-Hölzer / wein sie ein Stück seyn der Pfarr-Besoldung / sollen die Pfarrer also zu gebrauchen haben / daß sie ihnen daraus die Nothdurft / und soviel die Hölzer tragen können zu ihrer Haushaltung antweisen lassen / §. 28. der neuen Erl. de Ao. 1661. t. von Conf. Sachen. jung. Ordinat Coburg. Casimir. Tit. von Pfarr-Hölzern p. 222. Conf. Ord. Eccles. Magdeb. c. 19. §. 20. & Confit. Forest. Brunsv. Luneb. c. 4. §. 12. satis probatur. Igitur Parochus pro lubitu ejusmodi sylva uti nequit , sed ad modum usuarii , & quantum ad usum quotidianum , & necessitatem opus Conf. D N. KREBS. l. c. §. 18. n. 4. nisi fortasse appareat, usufructuarii jus illi concessum esse, quod quidem in dubio præsumendum non est. STYPMANN. de Salar. Cleric. c. 9. n. 56. seqq. DN. BOEHMER de jure Paroch. scđ. Cap. 2. §. 18. Ubi vero leges facultatem hanc definiunt, ex illorum sententia res aestimanda est. Unde etiam , si contingat, ut ex sylva Parochiana quam plurimæ ventorum impetu dejiciantur arbores , illas omnes in usus suos convertere nequit Parochus, sed tantum , quatenus ad necessitatem , & usum familiae indiget. Quod si etiam sylva maximam partem stragem passa fuerit, nihilominus non plures arbores Parocho cedere possunt , quam quot alias ipsi ad familiae indigeniam

tiam concessæ fuerunt, cum salario, quod ex sylva quotannis lucratur, proprio ausu a Parocho, ob casum supervenientem augeri, & sic sive Ecclesiæ, sive successori præjudicium fieri nequeat. Itaque hoc in casu, ubi sylva Parochiana, vel tota, vel maximam partem prostrata fuerit turbinum vehementia, Parochus ex arboribus dejectis non plura consequitur ligna, quam quot alias ex determinatione Patroni, & administratorum ærarii Ecclesiæ nauctus fuisset. Reliquæ vero arbores vel ad usum plurim annorum, ita ut interim parcatur sylvæ, affervandæ, vel etiam vendendæ sunt, atque pecunia inde redacta non Parocho, sed Ecclesiæ relinquenda est. Nonnunquam tamen hoc etiam in casu, quamquam pecunia, ex venditione arborum vi ventorum dejectarum comparata, tanquam fors ad Ecclesiam speetet; illa tamen scenori dari solet, & salva Ecclesiæ sorte, usuræ Parocho præstantur, quemadmodum in Saxonia cautum *in cir. Decret. Synod. Gen. d. §. die Pfarr-Hölzer ibi.* da aber Windbrüche oder sonst dürre Stämme vorhanden / und zu Gelde zu machen wären / so sollen die Kirch-Väter das Holz verkauffen / das Geld an gewisse Orte ausleihen / und die jährl. Zinnse dem Pfarrer davon entrichten. CARPZ. Jurispr. Confess. L. I. Defin. 101. Preterea in Saxonia, si sylva Parochiana nulla adsit, ex qua ligna ad usum, & necessitatem suam habere queat Parochus, ex sylva Universitatis ipsi lignum præstandum est, quot alias quodvis ex universitate membrum habiturum est, quemadmodum *in Decret. Syn. Gen. §. da aber die Pfarrer keine eigene u. constitutum est. Confer etiam Ordin. Eccles. Magdeb. C. 19. §. 21.* unde etiam, si sylva universitatis in decidendis arboribus ventorum injuriam perpessa fuit, pari modo de iisdem tantum, quantum singuli ex Universitate capiunt, quoque Parocho præstandum est.

§. XXVII.

Hæc ratione dominii, & servitutum arbores, turbinum *In jure violentia depressæ, sibi vindicant jura.* In arguento juris bereditarii de iis quoque nonnunquam quæstio movetur. *rio agi-*

F

Atque

tur de Atque quemadmodum defunctus per ultimam voluntatem,
 arboribus id quod post mortem de bonis suis fieri cupit, declarat
 vento de quandoque, ita si in bonis suis sylvas habeat, dubitetandum
 jettis non est, quin is, quem heredem univerfalem nominavit,
 Si heredi ut in aliis bonis, ita quoque in sylvis, illarumque arboribus,
 tas ex te ventorum violentia, sive ante mortem testatoris, sive post
 flamento ejus fata dejectis, succedat. Fieri tamen quoque afolet,
 deferatur ut ex voluntate testatoris in parte tantum quadam hereditas
 nonnunquam deferatur, & sic solius sylvæ heres quis
 scribi potest; quod ubi factum, huic, tanquam successori domini
 minii testatoris particularis, idem, quod domino competere
 jettis quoque tribuendum est. Atque sic sylvæ quoque
 per legari modum quandoque relinquuntur; quanquam
 etiam ille, qui sylvæ heres in testamento, ubi coheres in
 sum re stitutus, nominatur, magis pro legatario, quam herede
 lieta fue habendus sit, per L. B. C. de hered. Instit.
 rit. Cum vero institutio
 heredis in parte certa, & legatum unius ejusdemque natu
 rae sit, GODOFRED. add. l. proinde etiam heredes sylvæ, &
 legatarius æquali utuntur jure in percipiendis arboribus,
 ventorum violentia post mortem testatoris destructis;
 nimirum ut eis pro arbitrio de illis, tanquam dominis, di
 sponendi competit facutas. Ante mortem vero disponen
 tis dejectæ, sub ista institutione, vel legato non com
 prehenduntur, quippe quæ pars sylvæ, vel fundi amplius
 non sunt, Conf. supra §. 3. nisi alia mens testatoris appa
 reat. Ubi vero a testatore ususfructus ab ipsa proprietate
 separatus fuerit, ita, ut forsitan heredi proprietate relicta,
 sylvæ utendæ, fruendæque potestas legatario concessa sit,
 magis restrictum in percipiendis iisdem arboribus legatarii
 jus est, & tunc, quicquid de usufructuario dictum supra
 §. 21. huc pertinet. Possunt tamen & ipsæ arbores, tur
 binum violentia erutæ, in legatum venire, idque quando
 que expresse, & nominatim sit, ita, ut legatario illas ar
 bores

bores ex sylva defuncti præstare, heres in testamento jube- *Si legatum*
 atur. Interdum tamen tacite quoque arbores, ventorum *ligni reli-*
injuria prostratae, in legato continentur, nimis quando etum fue-
testator in genere lignum legatario relinqui voluit. Et rit,
quoniam quidem alias ligni appellatione tantummodo
veniat, quicquid ad comburendum jam præparatum est,
L. 55. pr. ff. de Legat. III. in legato tamen ligni relictio, simul
quoque arbores vento dejectæ præstandæ sunt, d. L. 55.
§. 2. Ita vero illud accipiendum, ut non indistinetæ
sub legato lignorum arbores turbine depresso veniant, sed
tum demum, quando defunctus sylvam eo destinatam ha-
bebat, ut inde ligna ad comburendum concideret d. L. 55.
§. 2. Quemadmodum etiam eo in casu arbores istæ ad
legatarium spectabunt, etiamsi ex sylva dejectæ fuerint,
quæ alias ad cædenda ligna destinata non erat, dummodo
testator arbores istas, ante ejus mortem dejectas, ad præpa-
randa ex iis ligna ad comburendum destinasset, eoque for-
te animo ad usum huncce signasset. Alias tamen, & si te-
stator arbores dejectas non ad usum comburendi adhibere
voluit, neque ille sub legato quoque ligni continentur,
cum aliis usui v. c. ad ædificandum, fulciendum &c. infor-
*uire possint. Quod si tamen legata *materia* fuerit, quippe*
quæ dicitur, quæ ad ædificandum, fulciendumque apta est,
d. L. 55. pr. etiam arbores vento dejectas, quæ ad hunc usum
applicari posunt, comprehendi, dubium non esse potest.
Sub legato tamen ligni farmenta, rami arborum, & ligna
grémialia, quæ ex arboribus vi ventorum divulsa sunt,
continentur, d. L. 55. §. 4.

§. XXVIII.

In Fideicommissaria hereditate, quæ quidem separa- *Quid in*
ram ab hereditate directa habet naturam, atque ubi heres fidei com-
fiduciarius ad restitucionem ipsius hereditatis obligatur, missaria
dubium est, quemadmodum in restitucionem veniant ar- beredita-
bores, quæ ex Sylva fideicommissio obnoxia dejectæ fue- te, de ar-

*boribus
turbine
dejectis
juris?*

runt. Arbores quidem, quae in sylva fideicommissaria ventorum injuriam sustinuerunt, prius, quam a fiduciario herede adita hereditas fuerat, restitutioni subiacere expeditum est per L. 27. §. 1. in fin. ff. ad SC. Trebell. Siquidem hereditatem quodammodo augere videntur, vel ad eandem tanquam partes essentiales spectant. Post aditam tamen hereditatem aliter dicendum est, atque tunc, quantum quidem mihi videtur, rursus distinguenda venit sylva cædua, ab incidua. Sylvæ cæduæ arbores, vento dejectæ, ad heredem fiduciarium pertinere videntur, neque ad earum restitutio-
nem ille cogi potest, siquidem in fructu est sylva cædua, fiduciarius autem heres, ad restitutionem fructuum hereditatis non tenetur, d. L. 27. §. 1. & L. 18. pr. & §. 2. ff. ad SC. Trebell. Post moram tamen, quam in restituendo hereditatem committit, perceptas arbores, vento etiam dejectas, restituere cogitur, d. L. 18. quod & tunc quoque fieri debet, ubi testator heredem rogavit, ut fructus restituat, sicut etiam, quando testator voluit, ut quicquid ex hereditate ad heredem perven-
turum esset, restituat, ad fructus omnes, & quicquid ejus vice est, restituendos tenetur, L. 32. & 33. ff. ad SC. Trebell. atque sic arbores, vento ex sylva cædua prostratae, in re-
stitutionem quoque venient. Ex incidua vero sylva arbores dejectas fiduciarius nunquam lucrabitur, sed eas, vel pretium illarum, fideicommissario heredi restituere tenetur, siquidem ea ad fructus propriæ referri nequeunt, sed potius res hereditariæ sunt, partemque hereditatis constituunt, ideo-
que cum tota hereditate relinquunt fideicommissario heredi debent. Interim tamen pretio earum tanquam parte he-
reditatis uti poterit. Diff. D. LINCK. de jur. vent. §. 24. Præ-
terea fiduciarius quoque heres in quartam Trebellianicam,
quam cum restituit hereditatem, deducit, simul imputare
tenetur, pretium arborum ex sylva cædua tanquam fructus
perceptarum, arg. L. 18. §. 1. ff. ad SC. Trebell. & L. 91. ad L. Falcid.

§. XXIX.

§. XXIX.

In hereditatem, quæ ab intestato relinquitur, arbores *Ab intestato in ordinem, quo alias defertur hereditas, ab intestato succedit* *arboribus nostris* turbine dejectæ quoque veniunt, atque in iis secundum *stato in* demonstratum dedimus, *succedit* rebus vento depresiæ, post dejectionem factam pro rebus mobilibus haberi, cum antea, quamdiu fundo cohærebant, rebus immobilibus annumerarentur, in jure successioni *heres morum consequitur*, illas huic cedere, cui leges successionem alias *biliaris in rebus mobilibus tribuunt*. In Saxonia illud imprimis contingit in marito, qui heres mobilialis est uxoris suæ defunctæ, & omnia ejus mobilia lucratur in successione, quemadmodum cautum in Land. *¶ Lib. I. Art. 31. Conf. CARPZ. P. III. C. 23. d. 34. n. 23.* Ita & huic quoque arbores nostræ obveniunt, si uxor in bonis suis sylvas habuerit, quæ ejusmodi stragem perpeccæ fuerunt; neque etiam refert, num cædua, an incidua sylva fuerit, si pleno dominio uxor illam possedit; equali enim jure, cum in utraque arbores dejectæ pro mobilibus habeantur, maritus in iisdem percipiendis utitur. In qua successione rerum mobilium, atque ita quoque arborum quæ violentia turbinum a fundo suo separatae sunt, illud singulare notandum, quod etiam si hæc mobilium delatio, quæ proprie loquendo non venit jure hereditatis, a marito non fuisset agnita; illa tamen nihilominus ad heredes ejusdem transferatur, *arg. L. 22. ff. de adopt. Conf. CARPZ. P. III. 14. 25. 26. & 27.* Ceterum notandum, arbores turbine prostratas, in successione ad heredes *heres alii*, allodiales spectare, etiamsi ex sylva feudali ceciderint, *vid. SCRADER. Tract. Feudal. P. IX. P. II. Sect. 3. n. 4.* prout ex supra dictis patet. Sic etiam usufructuarii heredibus in arboribus ex sylva usufructuaria, eaque cædua dejectis, cum per dejectionem a fundo separatae sint, atque apprehensione perceptæ, *L. 13. pr. ff. quemadmodum usufr. amittit, l. 12. §. act. ff. de usu succedendi jus competit.*

F 3

§. XXX.

§. XXX.

*Jure
pignoris
in sylva
constitu-
to quid
in arbo-
ribus tur-
bine deje-
ctis obri-
neat?*

Ad ius in re, de quo, quatenus in arboribus, turbinum vi prostratis, constituantur, hactenus egimus, ulterius ius pignoris refertur, cuius vis pariter etiam in arboribus dejectis locum invenire potest. Namque cum debitor omnes res, quas in bonis habet, pignori dare possit, L. 4. ff. *que-
res pign. vel hypoth. &c. L. 6. C. si res alien. pign. non ambigen-
dum est, quin sylva quoque illi nexui obnoxia esse queat,
vid. L. 18. §. per ff. de pignorat. act.* Idque ubi factum, quæ-
stio oritur, quale ius creditori in arboribus vento ex sylva
hypothecaria depressis competat? Evidem creditor arbo-
res istas sibi vindicare nequit, ita, ut in proprios usus illas
convertat L. 3. *de pignorat act.* nisi ex pacto antichreseos id
fiat, de qua re infra agendum. Jus tamen pignoris, vel hy-
pothecæ, quod in tota sylva ipsi constitutum est, etiam in
arboribus violentia ventorum dejectis retinet, arg. L. 16. §. 2.
de Pign. & Hypoth. Siquidem in oppignoratione sylvæ, sin-
gulæ quoque arbores oppignoratae censentur, qui quidem
pignoris nexus non expirasse dici potest, etiamsi a solo, per
tempestatum violentiam, separate fuerint: quippe sic pi-
gnus non plane perit, neque proprie in aliam formam
mutatur, sed potius, aequa ac ante dejectionem, ius pigno-
ris in arboribus prostratis subsistit. Itaque non conser-
tiente, vel incio creditore, debitor arbores hasce vendere,
vel quocunque modo alienare absque crimine furti L. 66.
*pr. ff. de Furt. vel Stellionatus L. 5. §. 1. ff. scollion. non pot-
est, & creditori actione hypothecaria adversus debito-
rem, si ille easdem apprehenderit, aut abstulerit, vel alienatis
illis, adversus quemcunque possessorem ad consequendas
arbores dejectas experiri facultas est, §. 7. j. de act.* Illud
tamen negandum non est, si arbores vento dejectae plane
mutatae, & in aliam formam redactæ fuerint, ius pignoris
in illis expirare. Unde si arbores istae ad extruendum
aedificium, vel navem, vel aliud quid simile adhibitae fue-
rint,

tint, jus pignoris in illa re, quæ ex arboribus hypothecae
nexui obnoxii, confecta est, non amplius durat, sed ex-
tingut est, per factam mutationem, novamque formam
arborum L. 18. §. 3. de *Pignor. act.* ita, ut si etiam oppignora-
tio rem, quæ ex arboribus oppignoratis confecta est, affi-
cere debeat, speciali pacto opus sit d. L. 18. §. 3. Quod si
tamen ex sylva, pignoris jure obligata, creditori satisfieri
non possit, in subsidium ad res, quæ ex arboribus sylvæ
oppignoratae, confectæ sunt, ex aequitate denuo recur-
rendum esse, atque eam tacite creditori obligatam esse
debere, Dd. statuunt, vid. *CAEPOLL. de servit. Praed. Rust.*
Cap. 22. n. 7. DN. KREBS de Lign. & Lapid. P. I. Cl. 12. Seff. 3.
§. 16. Ex quo pignoris jure etiam illud dependere vide-
tur, quod creditor debitorem rei hypothecæ obnoxiam,
qui in solvendo moras necit, prohiberi possit, ne ex ar-
boribus, ex sylva oppignorata dejectis, aedificia exstruat,
aut aliquid simile conficiat, ne jus ipsi in sylva constitu-
tum, ita debitoris factò evertatur; aut minimum cogere
illum poterit, ut in re ex arboribus istis confecta, novum
constitutus pignus. *Conf. BACHOV. de pign. L. 3. c. 9. §. 7. sq.*
Ex jure denique possessionis, quod ad jura in re passim
referri solet arg. L. 1. §. 1. de *superfic.* L. 1. §. fin. & L. 2. uti
possidetis. L. 3. §. 13. de *A. & A. P.* circa arbores vento de- *De Jure*
jectas notandum, omnia omnino commoda, atque emolu- *Posses-*
menta possessionum, intuitu illarum arborum, huic esse sionis
concedenda, qui in possessione sylvæ, vel juris lignandi,
vel etiam tollendi arbores, vi ventorum dejectas, constitutus
est, quae alias possessoribus tribuuntur. Unde interdictis,
& remedii possessoris ad adipiscendam, retinendam, re-
cuperandamque possessionem ab eo agi potest. In primis
pignorationibus sibi prospicere consultum est possessori,
quibus possessionem suam continuare, atque defendere tu-
to potest. Nonnunquam etiam creditor in possessionem
bonorum debitoris judicis auctoritate mittitur, ubi si sylva
oppi-

oppignorata, inque eam immissio facta, creditor arbores ex ea dejectas suas non facit, sed de iis, ut de omnibus fructibus perceptis, rationem reddere tenetur. *Ord. Proc. Saxon. Tit. 39. §. In Fall nun in fin. CARPZ. P.I.C. 32. D. 28.*

§. XXXI.

*In Jure
ad rem
agitur de
arboribus
turbine
dejectis.*

*De pactis
intuitu
illarum
initis.*

Haec potissimum sunt, quae quoad jus in re, circa arbores turbine dejectas, legibus statuuntur. Non minus tamen frequens illarum mentio est in argumento juris, quod in personam ad rem obligatam competit. Ut vero ex obligatione illud jus oritur, haec vero maxime ex conventione, & delicto promanat; ita de his singulariter tractandum est, atque cum conventio quidem pactum, atque contractum complectatur, in tractatione juris arborum, vento dejectarum, haec duo potissimum quoque consideranda veniunt. Pacta quidem de iis iniri posse, dubium non est, cum omnis res, quae dominio nostro subjicitur, in pactum deduci possit, *Princ. 7. de Inut. sspul.* Itaque pacto quis sibi prospicere potest, ut ex sylva alienata, vel aliena sibi relinquantur, vel concedantur arbores vento depresso. Quod ubi factum, num ad eum quoque casum, si tota, vel maximam partem, sylva prostrata fuerit, cum quidem pacientes de illo casu nihil expresse egerint, pactum extendendum sit? non adeo expeditum est. Evidem cum nemo cum alterius damno locupletari debeat *L. 14. ff. de Cond. Ind.* atque quicquid in praejudicium alterius contrahentium maxime tendit, in dubio restringendum esse aequitas jubeat; neque etiam suum jaetare quis facile praesumendus sit; pactum, quo jus arbores vento dejectas tollendi alicui constituitur, casum ubi omnes vel plurimae arbores dejiciuntur, de quo tanquam raro contingenti non cogitatum fuisse, praesumitur, non continere videtur, cum & dominus, qui fructus, vel partem sylvae concessit, non totam sylvam concessisse censendus sit. *Vid. sup. §. 9. Ceterum pacta varia contractibus de sylvis initis, ratione ar-*

bo-

borum vento dejectarum, adjiciuntur, quae ex natura contractuum, quorum intuitu ineuntur, explicanda veniunt.

§. XXXII.

Contractus qui intuitu arborum, ventorum injuria *Contra-*
prostratarum, iniri solent, ac possunt, varii occurrunt. Ex *etius*
realibus mutuum se primo sifit, ubi quanquam rarius ar- *quando-*
bores vento dejectae, proprie in hunc contractum venire *que de*
solent; fieri tamen potest, ut ejusmodi arbores alicui den- *iisdem in-*
relinquatur, quo casu proprie mutuum contractum esse *mutuum*
dicendum est. L. 11. pr. ff. de reb. Cred. & L. 8. c. Sic cert. per.
Unde etiam si in fraudem SCti Macedoniani filiofam. ven-
dendae datae fuerint illae arbores, nihilominus locus SCto
esse debet, per L. Item si 7. §. 3. ff. d. SC. Mace. ita ut filius-
fam. pecuniam quam per venditionem arborum conse-
quitur, restituere subministranti arbores, non teneatur.
Si centum arbores certae longitudinis, & qualitatis e. c.
50. Schwell-Eichen / Spieß-Eichen vel lignorum confectorum
certa quantitas, e. c. 100. Klaßtern Eichen / oder ander Holz /
& quidem certae longitudinis, ex arboreto dejecta alicui
detur, ea lege ut tantundem reddatur; non dubito, quin
mutuum contractum sit pr. I. Quib. mod. re contrab. ubi Dd.
quo in casu ea omnia quae alias ad contractum mutui
pertinent, hic locum quoque invenient. In contractu
depositi sibi quoque locum vindicant arbores turbine de- *depositum*
jectae. Namque cum rebus mobilibus annumerentur
ejusmodi arbores, in depositum illas proprie cadere ambi-
gendum non est. Quo facto, tantum abest, ut deposita-
rius arbores istas ad usus suos adhibere queat, ut potius
dolum & culpam latam §. 3. 7. quib. mod. re contr. obligat.
L. 32. ff. depos. & si ad depositum recipiendum, se obtulerit,
culpam levissimam L. 1. §. 35. dep. praestare teneatur, quod
& tunc quoque obtinet, ubi depositarius custodiā, circa

G

rem,

*Sylva se-
questrata,
quid de
arboribus
dejectis
juris?*

rem, quo casu depositum in mandatum degenerat, in se recepit, STRYCK. de Caut. Cont. Sect. II. cap. 3. §. 6. Depositus species sequestrum est, quod in arboribus vento dejectis, nonnunquam locum habet. Ubi enim de sylva controversia est, vel de jure lignandi, aut in specie de jure tollendi, arbores vento dejectas, interim dum lis sententia determinetur, interdum sequestro custodia sylvae, aut arborum controversarum committitur. Maxime vero tunc locum sequestratio habet, quando lite de sylva exorta, illa stragem ventorum injuria patitur, & ex venditione arborum dejectarum facta a posseffore, irreparabile alteri parti immineat detrimentum. Eo enim in casu magistrati incumbit, occurtere dilapidationi, tum, ne altera pars ex facto illicito alterius, jure & emolumento suo privetur, tum etiam, quia publice interest, ne quis re sua male utatur §. 2. f. de his qui sui vel alien. jur. Imprimis autem lignorum atque sylvarum curam habere debet magistratus, ne usui Reipublicae tam necessaria deficiat materia; unde recte decernitur quandoque sequestratio. Qua quidem a judice constituta, possesso parti, quam in illam ante habuit, salva atque integra remanet, COLER. Proc. Exec. P. I. c. 2. n. 63. quanquam in voluntaria sequestratione fecus sit, COLER. d. l. n. 64. Cæterum, custodia sylvae aut arborum committitur curae sequestri, sub lege reddendarum rationum, & restituendi eas, vel pretium illi, cui judex in sententia adjudicaturus est. Praeterea vero officium sequestri in eo consistit, ut tanquam administrator bonorum alienorum, ex sylva aut arboribus sequestratis in usus suos nihil convertat, sed omnem operam atque diligentiam adhibeat in administranda, & custodienda sylva, arboribusque dejectis, inventarium conficiat, & si arbores quam plurimae vento dejectae fuerint, illas justo pretio vendat, rationem reddat, & finita lite victori omnia restituat. vid. STRYCK. de Caut. Contr. Sect. 2. c. 3. §. ult.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

De Pignore, quatenus jus in re tribuit actum supra §. 28. hoc loco de contractu pignoratitio dicendum. Ubi quidem si conventum fuerit, ut in securitatem crediti sylva pignoris loco creditor i detur, arbores inde dejectæ, ipsi regul. non obveniunt, nec ejus lucro cedunt, sed ille de iis & perceptis, & quicquid exinde percipere potuisset, tenetur, *L. 3. C. de Pign. Act.* actioneque pignoratitia, illas a creditore suo petere potest debitor, debitore per solutionem jamjam liberato; aut si illud nondum factum, in solutionem imputari debent arbores istae, ventis ex sylva oppignorata dejectæ, quas creditor in usus suos convertit atque percepit *L. 1. & 2. C. de Pignor. Act.* in tantum, ut si creditor perceptione arborum istarum illud consecutus sit, quod debetur, pignus ipso jure libereretur, *d. L. 1. C. de Distract.*

Pign. Contractui tamen pignoratitio quandoque adiicitur pactum antichreticum, quo quidem agitur, ut usurarum loco creditor fructus pignoris percipiat. Quod quidem interdum tacite adiectum censetur, cum res sc. frugifera data pignori. *a. l. 8. in quibus causis pign. vel hypoth. tac. contr. quid de Quo pacto, sylvae oppignorationi adiecto, quatenus cre. ditor arbores ex ista ventorum vehementia dejectas, per-* *adjecto* *arboribus* *vento de-* *cipere valeat? disquiri solet. Quemadmodum vero in* *jectis di-* *hoc pacto semper cavendum, ne fructus a creditore per-* *cipi legitimam usurarum quantitatem excedant, a. L. 14.* *L. 17. C. de Usur. & d. l. 8. CARPZ. P. 2. C. 30. D. 40. n. 4. & D. 41. nisi forte quoad fructus incertos expresse antichresis constitu-* *ta, L. 17. C. de Usur. in quibus excessus toleratur, sed tamen non adeo immodicus, BACCHOV. de pignor. Lib. 1. c. 14.* *CARPZ. d. l. Def. 41. DN. PRAES. Resp. XLVII. Cl. XI. p. 670. Vi-* *detur tamen pacto antichretico in sylva constituto, maxi-* *me quoque ad id semper respiciendum esse, num sylva caedua sit, an incidua; ita ut in sylva caedua, cum proprie illius arbores tantum fructuum nomine veniant, creditori*

liceat , arbores ex iis dejectas , sibi vindicare , dummodo non nimium usurarum modum exuperent ; in sylva incidunta vero arbores dejectae , cum ad proprietatem magis , quam fructus referendae sint , in sortem semper imputari debeant , Conf. §. 21. sup. Quod si tamen in pacto antichretico in specie etiam de sylva inciduntia actum fuerit , tunc arbores illas vento dejectas percipit creditor , atque excessius quoque legitimarum usurarum , ipsi non denegandus , ob incertitudinem existentiae casus , quo dejiciantur arbores . Ubi vero sylva nimiam passa stragam fuerit , in sortem imputandum erit , quicquid exuperat usuras , ne tota proprietas expiret , atque cum insigni debitoris damno ad creditorem transferatur .

S. XXXIV.

*Num in
stipulatio-
nem ve-
niant ar-
bores tur-
bine de-
jectae ?*

*De stipu-
latione
damni in-
fecti*

In contractu verbali de arboribus , turbinum vi dejectis , agi posse dubio caret ob pr. f. de Inut. Stip. Cum vero stipulationes solemnes rariores hodie sint , & pactis plerumque id absolvatur , ad quod olim verborum solemnitas requirebatur : igitur , quod de pactis supra dictum , ad hunc contractum applicare licet . Uri vero stipulations , in conventionales & necessariias , sive judiciales dispescuntur : ita ad conventionales stipulationes dicta praecipue pertinent ; in necessariis tamen adhuc aliqualis in nostra materia superest usus . Species nimirum harum , cautio vel stipulatio de damno infecto est , quae potissimum in jure arborum ventorum violentia dejectarum locum quoque habet . Namque si arbor ita vetustate correpta sit , aut alio vitio interno laboret , ut quovis leviusculo exorto vento prolapsura , atque sic , ne vicinae domui aut segeti , hortis , vel vineis damnum magnum inferat , periculum sit , vicinus cautionem de damno infecto , a domino arboris exigere L. 24. §. 9. & 10. ff. de damno infect. & damno postmodum dato , actione ex stipulatu , illum ad ejus restitucionem compellere potest , L. 18. §. 6. ff. eod. Quod si etiam arbor

bor ejusmodi, in locum publicum promineat, ejusque ex ruina damnum aliquod metuatur, judex ex officio vel cautionem exigere, vel quod tutius simpliciter injungere potest, ut tollatur, *vid. D. SCHOEPE. ad ff. tit. de damn. inf. n. 3.* Stipulatione hac, de damno infecto interposita, ulterius illa extendi nequit, nisi ad arbores istas, quae intrinseco laborant vitio, & cujus intuitu cautum. Igitur si contingat, ut tempestatum injuria, nimiaque turbinum violentia arbores dejiciantur, atque ita non ex vitio arborum, vicinis aedibus, segeti, aut vitibus datum aliquod sit: ad resarcendum illud, dominus arborum non tenetur, etiamsi stipulatio forte de damno infecto, quod ex arboribus vetustate correptis metuitur, commissa fuerit, *L. 24. §. 9. ff. de damn. inf.* Casus enim, qui extrinsecus accidunt, & qui vim habent divinam, *d. L. §. 4.* dominus impedire nequit, nec quicquam est, quod tempestatis violentiae resistere possit; itaque nec ad casus extrinsecos stipulatio pertinebit, quae de intrinseco arborum vitio fuit inita. Nihil autem obstat, quo minus & per ejusmodi stipulationem ex voluntate contrahentium, in specie & de ejusmodi casu, si quoque arbores validae & vires, violentia turbinum prosternantur & damnum inferant, agi possit; ubi dominus arborum, aequa ad resarcendum damnum ita illatum, absque omni dubio tenebitur. Sed si cautio haec non interposita fuit, num damnum ex dejectione arborum vicino datum, plane resarcendum non erit? Ejus rei decisionem suppeditant *L. 6. L. 7. §. ult. L. 9. §. 1. & 2. ff. de damn. inf.* Nimirum hoc casu actio quidem nulla proprie competit, qua is, qui damnum perpetuus est, ad ejus restitutionem, contra dominum arborum agere queat, *d. L. 6.* jus tamen retentionis conceditur, donec damnum datum resarcatur. Quod si etiam in tollendo arbores dominus cunctetur, contra illum agi potest, ut compellatur, ad arbores istas sive tollendas, sive ut pro derelictis

relictis illas habeat d. L. 7. §. ult. atque si tollere arbores velit, simul omne detrimentum, ex dejectione arborum facta, refarcire cogitur. vid. d. *supra* §. 21. in fin.

§.. XXXV.

Quando de arbo-

Ex contractibus consensualibus primum emtio venditio occurrit, quae quandoque circa arbores turbine dejectas occupatur. Ubi notandum, in venditione rutorum stris agacaeorum, simul venditas censerit, arbores ventorum violentia dejectas, sive ruta caesa in genere vendita sint, *sive etiam ruta caesa, quaeque fundi non sunt, in specie fuerint nominata* vid. L. 66. §. fin. de Cont. Emt. & D. KREBS. de lign. & lap. P. I. Cl. 6. Sect. I. §. 6. n. 4. jung. *supra* §. 2 in fin. Alias vero fundo, vel sylva simpliciter vendita, non simul emtor arbores vento, ante emtionem dejectas, petere potest actione emti, nisi in specie arbores istae, sive ruta caesa vendita sint, L. 17. §. 6. ff. de Act. Emt. adeo, ut etiam sylva a venditore emtori tradita, is actione ad exhibendum petere queat ruta caesa d. L. 17. §. 6. Et licet etiam ad fundi usum v. c. aedificandum, vel comburendum, destinatae fuerint illae arbores, nihilominus tamen eas emtor petere nequit, d. L. 17. §. 2. Ratio ejus rei haec est, quod arbores tamdiu fundi esse censeantur, quamdiu cum ipso cohaerent, arg. L. 44. ff. de R. V. quando vero per violentiam ventorum, ante venditionem fractae dejectae, vel erutae, a fundo separatae sunt, neque ejus amplius pars esse, aut fundo vendito, in ejus venditione contineri possunt, d. L. 17. §. 2. & L. 66. §. 6. ff. de Cont. Emt. Caeterum si contingat casus, ut arbores ex sylva vendita post venditionem, turbatum injuria prosternantur, quaestio oritur, num venditio subsistat, & quis damnum ejus rei sentire debeat? Et parata est responsio; subsistere eam, & damnum emtoris esse: quoniam sc. emtio omnino valida est, simul atque de pretio conventum, licet nondum facta traditio fuerit. Itaque si postea arbores turbine dejectae fuerint ex sylva ven-

vendita, eaque longe minor, aut deterior esse cœperit: emtor tamen, quod de eo queratur, non habet, cum hic casus absque dolo & culpa venditoris, qui tanquam speciei debitor eam praefstat, prout in potestate ejus est, acciderit, ideoque ipsi nihil imputari queat §. 3. *J. de Emt. & vend.* Tum tamē & vendor, in arboribus istis dejectis, nullum jus sibi tribuere potest; sed cum damnum emtoris sit, ejus quoque commodum esse aequum est. *d. §.3.* Quando quis contemplatione arborum, fundum emere constiterit, interim vero, dum de hac re agitur, antequam venditio perfecta sit, plurimae, vel omnes arbores vento dejectae fuerint; nihilominus vero inter rem & pretium consensum sit; interest, num partes, vel alteruter contrahentium scierint, vel ignoraverint casum, qui in sylva contigit, antequam venditio perfecta. Si uterque ignoraverit, emtio fundi plane non contracta videtur *L. 58. ff. de Cont. Emt.* & si quid eo nomine solutum fuerit, indebiti condicione repeti potest *L. 57. pr ff. eod.* Limitantur tamen haec ita, ut si minima pars sylvæ prostrata fuerit, subsistat emtio atque venditio, & aestimatione, habita boni viri arbitratu, de pretio tantum remittatur emtori, quantum ex dejectione facta, sylvæ decrescere fuit inventum. *d. L. 55. pr.* Quod si sciverit vendor, ante venditionem sylvæ stragem ventorum injuria factam fuisse, ignorante emtore, si quidem tota sylva perit, venditio non subsistit; si vero quantacunque pars remaneat, subsistit, & vendor emtori, ad id, quod interest, tenetur, *d. L. 57. §.3.* Si ignorante venditore, sciverit emtor casum in sylva, quam emit contigisse, venditionem stare, & pretium ab emtore vendori integrum, si non dependum est, solui oportet, *d. L. 57. §. 2.* Uterque contrahentium si sciverit sylvam prostratam esse, venditio plane nulla est, & dolus inter utramque partem compensatur, cum negotium, quod ex dolo utriusque partis venit, stare non concedatur, *d. L. §. ult.* In ipsa

ipsa arborum, ventorum violentia dejectarum venditione adhuc notari meretur, quod illae si venditae fuerint, ad opus inde faciendum, postmodum vero, inscio quidem venditore, reperiantur cariosae, vitiosae & inutiles, emtori a venditore restituendum esse, quanti minoris emturus fuisset, si vitium arborum scivisset. Ubi vero ex dolo venditoris, illoque sciente qualitatem arborum venditae fuerunt, is omne interesse & detrimenta, quae ex ista emtione traxit, emtor huic praestare tenet, *arg. L. 13. pr. ff. de Act. Emt.*

§. XXXVI.

*Quando
in loca-
tione con-
ductione?*

In locatione atque conductione sylvarum, saepissime de arboribus turbine dejectis agitur, dubiumque oritur, num illae, locata sylva, ad colonum pertineant? Si sylva caedua locata fuerit, equidem ambigendum non est, quin arbores ex illa dejectae, ad colonum spectare debeant, cum locatio ejusmodi, eo intuitu potissimum inita censemtur, ut fructus inde percipiat colonus, ad quos, ut aliquoties dictum, sylva caedua refertur. Sylvae inciduae locatione inita, nisi expresse contrahentes de arboribus quoque vento dejectis egerint, illae colono non obvenient. Interm quidem modicus tantum usus, & quatenus pro necessitate sua, aut pro refectione praedi locati illis indiget, concedendus est colono, *arg. L. 12. ff. de IJfif.* Alias vero, & si contra voluntatem locatoris arbores vento dejectas sibi arrogare audeat, locati actione contra ipsum experiri poterit locator; tenetur etiam *ex L. XII. Tabb. arborum furtim caesarum*, & interdicto quod vi aut clam *arg. L. 25. §. 5. ff. Locar. Cond.* Quandoque sylvae frugiferae ita locantur, ut jus glandium legendarum tantum competit colono. Quo facto, illi plane nullum jus simul in arboribus istis glandiferis turbine dejectis tribuitur; quamvis glandes adhaerentes adhuc arboribus, legere queat. Quodsi vero nimiam stragem sylva glandifera perpesa fuerit, ita ut

CON-

conductor magnum in fructibus percipiendis sentiat damnum, de mercede, quam soluere conductor locatori promiserat, nonnihil remitti debere, ipsa aequitas jubet, quemadmodum etiam cautum in L. 15. §. 2. ff. Loc. Cond. Interdum in sylva usus lignorum cremalium saltem conductori locatur, de quibus actum §. 3. ubi dubium videtur, an ejusmodi locatione simul quoque arbores vento dejectae comprehendantur? Lignorum istorumvero locatione facta, illa non simul continere videtur arbores turbine dejectas. Namque ejusmodi ligna tantummodo concessa sunt, quae alii usui, quam ad concremandum, inferuire nequeunt. Ast arbores vento dejectae etiam ad opus faciendum, aedificandumque adhiberi possunt: proinde colono fas non erit, eas sibi vindicare; sed vel locator eas ipse ad aedificandum adhibere, vel aliis illas ad ejusmodi usum vendere potest. Quod si tamen carie, & putrefactione essent confectae arbores turbine dejectae, ut ad aedificandum inutiles plane existerent, & non nisi ad comburendum idonei essent, sub hoc contractu quoque comprehenduntur, *vid. D. KREBS. de lign. & lap. P. 1. Cl. 6. Sect. 1. §. 3.* Dicta de locatione ad venditionem quoque applicari poterunt, quod sc. & sub venditione arborum cremalium arbores vento depresso non contineantur.

§. XXXVII.

Ex quasi contractibus nonnunquam negotiorum gestio *Quid ju-*
*circa arbores vento dejectas versatur. Ubi enim quis al-*ris in ne-
terius absentis negotia gerenda suscepit, in cuius bonis *gotiorum*
sylva reperitur, quae injuria tempestatum stragem arbo- *gestione?*
rum sustinuit, illarum quoque legitimam adhibere debet
curam. Unde debet convenienti tempore illas tollere,
ne putrefactioni relinquantur, atque si usui praedii absentis
domini non inferuire queant, legitimo pretio vendere.
Cum enim ad culpam levem, L. 20. C. de Negot. Gest. & certis
casibus levissimam §. 1. J. de Oblig. quae quaf. ex cont. praeftan-
dam obligatus sit, nequicquam eorum ipsi negligendum est,

H

quod

In tutelae quod absentis commodum promovere potest. In tutelae, administratione, codem modo tutori, atque curatori incumbit curam arborum vento dejectarum agere: ad quid obligetur tutor?

In tutelae quod absentis commodum promovere potest. In tutelae, curaeve administratione, codem modo tutori, atque curatori incumbit curam arborum vento dejectarum agere: imprimis vero ejus est, in locum dejectarum novas supplantare, atque substituere arbores, ne sylva tota pereat pupilli, atque sic pupillus damnum incurrat. De dejectis arboribus vero, ut sylvae integrae parcatur, quantum ad praediorum necessitatem opus est, ad comburendum adhibeat, quaeque ad aedificandum inferire possunt, in refectionem praediorum pupillarium conuertat, aut, si nec hoc necessitas exigat, illas vendat, atque pecuniam inde redactam in usum pupilli vel minoris vertat. Ubi vero horum tutor nonnihil neglexerit, aut in proprios usus illas converterit, tutelae actione ad resarcienda damna pupillo obligabitur.

Quid ob- tineat in rerum ac hereditatis communione, ad com- municationa commoda, quae ex arboribus vento dejectis, ex sylva communi, aut hereditaria percepit administrator; ex quasi contractu obligatus, tenetur, & si in praetudicium & confortium & coherendum quid egerit, communis divisione dundo, & familiae eriscundae judicio conveniri potest.

§. XXXVIII.

De delictis Haec potiora sunt, quae in contractibus de arboribus circa turbine dejectis occurtere solent, & quanquam in reliquis bores tur- contractibus nonnunquam de iis quoque agi, non infici- bine deje- emur, instituti tamen ratio eos omnes excutere vetat. etas com- Progredimur itaque ad delicta, quae circa arbores vento missis. * dejectas perpetrantur. Pertinet hoc damnum injuria in iisdem datum. Quodsi enim animo doloso arbores quis

Damnum ita conficiat, ut necessario cadere cogantur, exerto quo- injuria vis vento, ad resarcendum damnum, vel judicio legis Aquiliac, vel arborum furtim caesarum actione tenetur, L. i. ff. Arb. iis, vin- Furt. Caesar. L. 25. §. 4. ff. Loc. Praesertim legis Aquiliacae acti- dicatur datione tenetur is, qui arborum, sive propriarum, sive aliena- actione L. rum radices ita dolose praecidit, atque evellit, ut vento post- Aquil. modum

CIRCA ARBORES TURBINE DEIECTAS. 59

modum supprimantur, & in vicina praedia, eorumque segetes, arboreta, vel aedificia decidunt, & his noceant arg. §. 5. j. & L. 31. ff. ad L. Aquil. & arg. L. ii. §. 4. ff. eod. jung. L. 30. §. 3. eod. Actio ista Legis Aquiliae tum quoque locum habet, quando radicibus evelluntur arbores, quanquam non statim, sed demum ventorum vi concussae concidant. L. 7. §. 2. ff. Arb. furt. caesar. atque tum damnum dominus arborum, sibi ex evulsione illarum datum, hac actione persequi potest. Ea legis Aquiliae actio competit quoque usufructuario, si arbores in sylva usufructuaria dolose ita corruptae fuerint, ut eo magis ventorum violentiae subsint, L. 13. pr. ff. Quod vi aut clam, uti etiam socio contra socium in arboribus communibus illa datur d. L. 13. §. 3. & denique omnibus, qui in sylva sibi propria, sive aliena, jus caedendi arbores habent, d. L. §. 4. quibus etiam interdictum quod vi aut clam conceditur.

d. L. pr. Actione arborum furtim caesarum ulterius quoque, ad consequendam damni restitutionem, ex eo quod arborum quis corruperit arbores, ut eo facilius ventorum vehementia possint prosterni, perpeſſi, agi potest, ita, ut si supra dictis actionibus suum dominus nactus non sit, hac actione illud petere queat una cum poena, ut ita in duplum haec actio competat. L. i. L. 7. ff. Arbor. furt. caef. Et quanquam ipsae arbores penitus caesae non fuerint, nihilominus tamen, si eo animo corruptae fuerint, ut violentia ventorum supprimantur, cui antea resistere poterant, dum adhuc integrae erant, actio ista locum inveniet, tanto magis, cum ob solam deglorationem, ubi arbores cinguntur (quod ringeln nostrates dicunt) eadem concedatur. L. 5.

ff. d. t. In Saxonia si arbores quis non animo lucrificandi, In Saxo-
sed nocendi caedat, & corrumpat, atque damnum ita alii nia quid cui inferat, non tantum aestimationem illarum, domino juris? solvere tenetur, sed & praeterea pro unaquaque arbore 30. solidorum, 30. Schilling Pfennige i. e. duarum sexagenarum poenam luere debet, quemadmodum statutum

Land. R. Lib. 2. art. 28. & Conf. El. 37. P. 4. ibique CARPZ.
Quod si etiam ille, qui damnum dedit, non habeat, unde
poenam istam solvat, arbitraria carceris, aut alia poena affi-
ciendus est. d. Conf. 37. Imo si damnum dolo malo datum
nimium magnum sit, pro diversitate circumstantiarum,
vel relegatione, vel fustigatione punitur, d. Conf. 37. CARPZ.
Pr. Crim. qu. 38. n. 17. D. STRYCK. u. M. ff. T. Arb. fur. caesar.
§. 4. Loquuntur tamen dicti textus tantummodo de arbo-
ribus frugiferis L. R. d. l. ibi: Wer Holz abhauet / das ge-
setz ist / oder tragende Bäume ic. Conf. 37. Diejenigen so tra-
gende oder fruchtbare Bäume ic. non ideo tamen exclu-
dendae prorsus erunt illae quoque arbores, quae quidem
fructus, qui usui esse possunt, nullos proprie sic dictos
ferunt, ex quorum tamen ramis (Haaren) dominus non-
nihil commodi, in re oeconomica percipere potest, v. c.
salices, quas & Conficit. Sax. diserte nominat; cum ob par-
itatem rationis leges hae commode ad istas arbores extendi
possint.

§. XXXIX.

*De furto
arborum
turbine
dejecta-
rum.
Eius poe-
na jure
Romano.
Jure Im-
perii*

Ubi lucrifaciendi animo arbores turbine dejectae con-
trectantur, non sola praestatione aestimationis fures libe-
rabuntur, sed praeterea quoque eos poena expectat. Jure
Romano quidem furtum arborum, vi ventorum quoque
dejectarum, vindicatur actione furti, conditione furtiva,
& ad exhibendum actione L. 8. §. 2. ff. arb. fur. c. a. f. L. 25.
§. fin. ff. de furt. ut nil dicam de R. V. quae adverfus pos-
fessores earum datur. Coeretur tamen & temeritas agen-
tium extraordinaria animadversione L. f. ff. de Furt. Ast jure
hodierno Imperii, ex Conficit. Crim. CAROLI V. art. 108. ubi Clas-
sen. pro qualitate delicti ordinaria furti poena afficiuntur,
qui arbores caefas furantur. Atque cum arbores istae, quae
turbanum vi dejectae sunt, eadem fere conditionem ha-
beant, quam quae caefae sunt, eadem quoque furti poena
in illos, qui easdem furantur, statuta esse videtur. Jure
Sax.

Sax. quoque arborum, ventorum vi dejectarum, furtum eodem modo puniendum est, quo alias in fures arborum caesarum animadverti solet. Poena autem Jur. Sax. provinciali in fures lignorum haec statuta est, ut distinguantur, inter furtum nocturnum, atque diurnum. Furtum nocturnum lignorum caesorum suspendio plectitur *Land. R.* Lib. 2. art. 28. ibi: Wer auch des Nachts gehauen Holz oder Gras stiehlet / das soll man richen mit der Wyde. Furtum diurnum autem poena alia corporis afflictiva, v. c. fustigationis punitur *Land. R.* d. 1. ibi: Stiehlet ers des Tages / es geht ihn zu Haut und Haar. Sed & furtum nocturnum arborum aliter non punitur laqueo, nisi pretium illarum excedat 5. solidos, sive ducatos Hungaricos; si enim infra hanc quantitatem aestimatio arborum sit furto ablatarum, poena locum invenit fustigationis, id quod innuere videtur *Gloss. ad d. art. 28. ad verba. Stiehlt er des Tages. Jure Sax. Elect.* nullo respectu habitu ad furtum diurnum, aut nocturnum, indistincte furtum arborum ordinaria poena, qua fures alias afficiuntur, plectitur *Conf. Elect. 37. P. 4. §.* Und diejenigen scilicet atque ita tantummodo in definienda poena ad aestimationem respicitur. Equidem *CARPZ. d. Conf. 37. d. 3.* plerumque furibus ejusmodi poenam fustigationis imponi, ait, neque unquam meminisse vult, poenam capitalem eo in casu dictitatam fuisse. Sed exinde non inferendum est, quod poena capitalis locum non habeat: quod si enim de quanto, & pretio arborum furto ablatarum certo constet, non dubitandum, quin ob legis Saxonicae expressam sanctionem, poena laquei imponenda sit. Quod & ipse *CARPZ. d. 1. n. 5.* non negare videtur, illud tantum asserens, quod dicta poena rarius imponi possit, cum saepius in illo crimen de corpore delicti, & quantitate satis certo non constet. Atque ita quoque Jur. Sax. El. si quis arbores turbine dejectas furatur, atque de earum quantitate ita apparet, ut 5. solidos excedat, absque dubio poena suspendii

locum

H 3

locum habebit, ob generalitatem textus in d. Conf. 37. quae in genere furti poenam iis, qui lucrificiendi animo arbores tollunt, imponit. Quod si haec furtu ab illis commissa, quorum fidei juratae sylvae, nemora, arbores, & ligna concredita sunt, jure communii quidem rigor illius poenae cessabit. CARPZ. Qu. 185. n. 10. Sed in nostra Saxonia Constitutio Div. Augustia Potentissimo Rege Anno MDCC V. innovata, & hic locum habebit. Nec dubito, quin secundum illius rigorem suspendii poena locum habeat, si summa sufficientem ablatae arbores conficiant, modo de certitudine summae liquido constet. His furtis officialium ut obviam eatur, consultum est, ne illis arbores vento fractae, vel dejectae, loco accidentis, ut vocant, relinquantur. Agit hac de re graviter ill. SECKENDORF. in Statu Princ. Germ. c. 3. Rub. von Forst. Bann vid. dict. supr. §.

§. XL.

De incen-
dio illa-
rum arbo-
rum. Furtum arborum ventorum vi dejectarum excipit illarum incendium. Ut vero illud vel ex culpa, vel ex dolo ejus, qui exurit arbores, contingit; ita diversi ex eo quoque consequuntur effectus. Incendium culposum quandoque exoritur, si in sylvis, aut prope easdem ignis habeatur, quod maxime die ventoso ad arbusta, & sarmenta arida porrigeret, atque sic cum tota sylva arbores dejectas exurere potest. Cum vero magnum, tum dominis sylvarum, tum ipsi reipublicae, ita inferatur detrimentum, recte publicis legibus pastoribus, aut qui alias in sylvis habent, quod agant, sub certa poena interdicuntur, ne in sylvis, aut prope easdem ignes habeant. Unde saluberrime in ordinatione Marpurg. sub poena 10. aureorum illud prohibitum refert. D. KREBS. Tr. de lign. & Lap. P. 1. Cl. 2. Seet. 2. §. 15. n. 1. VId. Ediſ. Magdeb. d. 1701. Corp. Conf. Magdeb. P. III. p. 508. 638. Sic ejusmodi incendium culpa in sylvis exoriri potest, si qui prope sylvas praedia habent, in stipulas, aut spinas ignem, comburendarum illarum gratia, immittant, atque ille ex culpa

culpa eorum, qui spinas concremare volunt, maxime quod die ventosa illud factum fuerit, ulterius euagetur, atque progrediatur, atque sylvam, ejusque arbores, tum integras tum dejectas, incendat. *vid. L. 30. §. 3. ff. ad L. Aquil. Conf. Exod. 22. v. 6.* Unde & merito ne accensio stipularum, atquae spinarum fiat, prope sylvas publice prohibetur. Quod si itaque damnum ex culpa, & negligentia comburentis spinas, vel quocunque modo igne, in arboribus vento dejectis, datum fuerit, ad restitutionem ejus, ille, qui dedit, tenebitur *vid. d. L. 30. §. 3. & L. 1. 2. C. ad L. Aquil. L. 28. §. 12. circ. fin. ff. de pœn. c. 6. X. de Injur. & damn. dat. Land R. Lib. 2. art. 38.* si que nimis lata intercedat culpa, damnumque magnum datum fuerit, fustigationis quoque poena, illi, qui incendium sylvarum fecit, imponi potest, *vid. CARPZ. P. 4. Conf. 17. d. 12.* Incendium vero arborum illarum, quod ex doloso animo perficitur, alia, eaque severiore, poena punitur. Incendiarios aedificiorum dolosos ultricium flammistarum poenam luere, in vulgus notum est, *vid. L. 28. §. 12. ff. de Pœn. Conf. Conf. 17. P. 4.* Sed num ea poena satis atrox ad incendiarios sylvarum, atque arborum, sive caesarum, sive vento dejectarum, extendenda sit, non satis expeditum est. Secundum jus civile Romanum quidem mitiorem poenam obtinere, evinci potest, *ex d. L. 28. §. 12. ff. de Pœn.* quippe quod incendium, quod inimicitiae, aut praedae causa in oppido fit, tantum igne, quod vero in villa factum est, aliquo lenius puniri vult. Jura tamen hodierna, maxime *Conf. Crim. Caroli V. art. 127. junct. Conf. 17. P. 4.* generaliter cum disponant, & incendiarios indistincte ultricibus flammis comburi jubeant, eo quoque casu, ubi sylva, ejusque arbores sive caesae, sive dejectae, animo inimico incensae fuerint, poenam ignis imponi debere non dubitaverim; idque tanto magis ita fese habere puto, cum res, quae injuriae pravorum nimis expositae sunt, ab eorum malitia severioribus poenis vindicari debeant. *In primis*

primis vero merentur ligna publice defendi: quoniam illorum usus Reipublicae maxime utilis, imo necessarius est. Et in hanc sententiam D. Scabinos Lips. respondisse reperio ap. CARPZ. Pr. Crim. qu. 38. n. 36.

§. XLI.

*De Homicidio
quod ar-
boribus
turbine
dejectis fit.*

Cum arbores, quando vi turbinum dejiciuntur, obvia quaque prosternant, atque supprimant: non raro contingit, ut homines, qui per sylvas iter faciunt, arbores dejectae misere opprimant. Quo quidem casu existente, ita ut nullus dolus aut culpa subsit, nihil equidem est, quod domino sylvae imputari queat. Ubi tamen aliqua negligenta domini concurrit, non ab omni omnino poena immunis erit. Igitur si, saepius praesertim, monitus fuerit, ut arbores, quae in viam, per quam saepissime iter fit, prominent, atque quovis levi exorto vento in prætereuntes prolapsurae sunt, tollat, ille vero haec neglexerit, atque sic suppressio postmodum contingit, dominus multam carceris, relegationis, aut, pro modo negligentiae, fustigacionis quoque poenam incurret. In Saxonia præterea ad exoluendum Wericeldum tenetur Land-R. lib. 2. art. 38. eo in casu ubi ultra relegationem poena corporis afflictiva non imponitur Conf. II. P. 4. Si, struendarum insidiarum ergo, arbores prope iter positas ita quis conficiat, præcidendo forte radices, ut, qui per sylvam, alium vel locum profecturus est, die ventoso, ex dejectione arborum supprimatur, ordinaria homicidii, vel latrocinii, si depraedationis causa factum fuerit, plectendus est.

§. XLII.

*De Actio-
nibus ra-
tione ar-
borum
turbi-
ne dejecta-
rum com-
petentibus.*

Quae de arboribus turbine dejectis hactenus exposuimus jura effectus suos sortiuntur per actiones, quibus illa in judicio peti, defendique possunt. Cum vero non quidem aliae actiones circa jura arborum vento dejectarum competant, quam quae ex negotio, unde jus illud oritur, alias dari confluescunt, inque iis nihil omnino singulare occurrat;

rat; proinde multa de iis praeter ea, quae passim a nobis
 monita, adducere supersedemus. Illudque nobis dixisse
 sufficiat, in eligendis actionibus maxime ad caussam, ex qua
 jus competit, recurrendum, & ea actione in judicio expe-
 riendum esse, quae maxime commoda videtur §. 5. J. *Quod*
cum eo qui in al. pot. Unde si ex jure in re, nobis in sylvam,
 aut arbores, ex ea vento dejectas, facultas competat, rei
 vindicatione, actione confessoria, & aliis ejusmodi actio-
 nibus, quibus jus in re persequimur, agendum erit. Si
 personam nobis ad praestandas illas arbores obligatam ha-
 bemus, actionibus ex conventionibus vel delicto oriundis,
 quod nobis debetur, peti poterit. Missis itaque his, pau- *De jure*
cis, tantum adhuc de jure, quod Principi, ratione vento quod
dejectarum arborum, in fundis privatorum (nam de arbo- *Principi*
ribus in fundis publicis §. 8. actum) competit, commemo- *circa ar-*
rabimus. Notandum autem primum, id quod ex natu- *bore tur-*
rali dependet ratione, Principem, si subditis dominium bine in
in sylva, vel ex concessione ejus, vel alio jure tribuatur, re- *fundis*
gulariter in liberissimo illius usu, atque facultate, arbores vi privatis
ventorum dejectas percipiendi, impedire eos minime pos- *dejectis*
se, nec solere, juxta effatum regium Imperatorum in L. 4. C. competit.
de Emanc. Liber. Leges tamen, ex summa, in Republ. ipsi
competente, potestate, circa arbores turbine depresso, pra-
scribendi facultas, neutiquam illi deneganda est, quibus
sc. libertas naturalis, de iis disponendi, pro usu, & exigentia
Reipublicae, circumserbitur: quia interest ejus, ne
quis re sua male utatur §. ult. de his, qui sui vel alien. iur.
Unde est, quod quandoque publicis legibus jubeantur do-
mini sylvarum, arbores vento dejectas, ex sylvis mature
tollere, ne forte banno ferino noceatur, vel via publica
impediatur, vel aliud exinde incommodum suboriantur.
WEHNER: Observ. Pract. verb. Forst. Recht versi. Removere enim
D. KREBS. Tr. de Lign. & Lap. P. I. Cl. 6. Sect. I. §. 4. ibique
cit. Solent quoque Principes sylvarum curam agere, ne
nimia

nimia excisione devastentur; unde etiam nonnunquam prohibetur, ne domini sylvarum, integras atque validas caedant arbores, fructiferas praeferint, quamdiu ligna, quibus indigent, ex arboribus vento dejectis, vel aridis, habere possunt, quemadmodum cautum in des Herzogthum Württembergs Jagd- und Forst-Ordnung rubr. von Wind-Gällen und Aßter-Schlägen. Conf. Hennebergische Jagd- und Forst-Ordnung §, wenn sich Windfälle begeben. Sic ex eo, regali legum ferendarum jure, dependet, quod Princeps vetare possit, ne arbores vento dejectae extra territorium vendantur; licet magna copia arborum dejecta fuerit, si quidem in territorio metuantur inopia ligni, cui ita occurtere satagit Princeps. Poterit etiam Superior prohibere, ne arbores istae, nimis magno, eoque iniquo vendantur pretio: imo justum quoque determinare pretium, quo & ligna in genere, & in specie arbores vento dejectae, vendi debeat, ut ita egentes ab emtione illarum ad necessarium usum suum non arceantur, vid. Churf. Sächs. Landes-Ordn. de anno 1555. rubr. Holz-Rauß / §. So wollen ic. Atque sic omne illud, jure Majestatis Superioritatis, vel in specie jure forestali, ac banni ferini, ipsi competente, statuere potest, quod Reipublicae necessarium, aut utile fore videtur.

§. XLIII.

Conclusio.

Haec sunt, quae de eo, quod circa arbores turbine dejectas justum est, pro ingenii modulo meditatus sum. Et quanquam latius hoc loco evagari, & adhuc multa, quae ad hanc rem faciunt, asserre licuisset, instituti tamen ratio, pedem hic figere, postulat. Tu vero, L. B. labori nostro ferentam praebetas frontem, & si leve hoc genus scriptio-
nis, nec omni ex parte perfectum tibi videbitur; ingenio veniam des, atque in materia amplissima, non tamen ubi
vis


CIRCA ARBORES TURBINE DEIECTAS. 67


vis obvia, nihil adeo omnibus numeris absolutum conscribi posse, credas; cum & ipsa humana imbecillitas quicquam plene perfectum fieri vetet. DEO autem T. O. M. pro concessis clementissime viribus, infinitas agimus, habemusque gratias, illumque, ut rebus nostris posthac quoque benigne adesse velit, submissae
veneramur.



fridrich. dux de lorraine et le duc de lorraine
fridrich. dux de lorraine et le duc de lorraine
fridrich. dux de lorraine et le duc de lorraine
fridrich. dux de lorraine et le duc de lorraine
fridrich. dux de lorraine et le duc de lorraine
fridrich. dux de lorraine et le duc de lorraine
fridrich. dux de lorraine et le duc de lorraine
fridrich. dux de lorraine et le duc de lorraine
fridrich. dux de lorraine et le duc de lorraine

A.D. 1514.






00 A 6356



VORP Rehöv



26

D. D. B. V.
 DISSERTATIO IN AVGVRALIS JVRIDICA
DE EO, QVOD JVSTVM EST
 CIRCA
ARBORES TVRBINE
DEJECTAS,
(Wind-Brüche)
 QVAM
 AVSPICIIS SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
DN. FRIDERICI AVGVSTI
 PRINC. REGII, AC ELECT. SAX. HER. &c. &c.
 RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
 EX DECRETO INCLVTI JCCTORVM ORDINIS
 SVB MODERAMINE
DN. CASP. HENRICI HORNII, IC.
 POTENTISSIMI REGIS POLON. ET ELECT. SAXON.
 IN SVMMO PROVOCATIONVM SENATV CONSILIARII,
 COLLEGII ICTORVM ORDINARII, SENIORIS
 ET H. T. DECANI,
 PATRONI, PROMOTORIS, AC PRAECEPTORIS SVI OMNI HONORIS ET
 OBSERVANTIAE CVLTIV AETATEM PROSECVENDI
PRO LICENTIA
 SVMMSOS IN VTROQVE JVRE OBTINENDI
 HONORES ET PRIVILEGIA
 PVBLICO AC SOLEMNI ERVDITORVM EXAMINI
 AD D. *A. M DCC XVI.*
 IN AVDITORIO MAJORI
 HORIS ANTE ET POST MERIDIEM STATUTIS SISTIT
SAMVEL SIGISMVNDS. *Seyfried/FREIB.*
 CONS. ECCLES. VVITTEE. ADVOC. ORD.
 VITEMBERGAE, LITERIS VIDVAE GERDESIANAE.